

SIMONIA
J U X T A
P R I N C I P I A
SS. THEOLOGIÆ,
& SS. CANONUM,

Nec non

Novissima Summorum Pontificum
ALEXANDRI VII. & INNOCENTII XI.
propositiones damnantium decreta.

Examinata & Disputationi publicæ
in Conventu Frisingensi exposita.

P R A E S I D E 110.

P. F. SIGISMUNDO NEÜDECKHER,
Ord. Min^f S. Francisci Reform. in præfato
Conventu SS. Theologiæ Lectore.

D E F E N D E N T E

Fr. CELSO SCHÖNNIGG, ejusdem
Ordinis SS. Theologiæ Studioſo.

Mensis Augusti, 1698.

1240 1240 1240 1240 1240 1240

M O N A C H I I ,

Typis MARIE MAGDALENÆ
RAUCHIN, Viduæ.



438

*REVERENDISSIMO,
ILLUSTRISSIMO,
ET GRATIOSO
DOMINO, DOMINO &c.*

**FRANCISCO
ANTONIO BE-
GNUDELLIO
BASSO,**

*SS. Theologiæ Doctori ,
Ecclesiæ Cathedralis Frisingensis
Canonico , Scholastico , Officiali ,
*Nec non**

**S. R. I. PRINCIPIS
EPISCOPI FRI-
SINGENSIS**

**J O A N N I S
FRANCISCI
In Spiritualibus Vica-
rio Generali.**

*Dignissimo Domino , ac Patrono suo
perquam Gratioſo.*

EPISTOLA
REVERENDISSIME,
ILLUSTRISSIME,
ET GRATIOSE
DOMINE, DOMINE &c.

Dura eademque urgentia
sunt motiva, & propu-
gnantia argumenta, quæ
non tam suadebāt, quam
cogebant, TUIO præcipue Glorioso
sub Nomine hasce pagellas publicæ
com-

DEDICATORIA.

committere luci ; quomodo cunque enim mentis oculo illas intueor, iustissimo simul ac necessario titulo eas *TIBI* deberi , illicò depræhendo. Enimverò , si illas ut fructum litterarium, qualem cunque tandem Studij Frisingensis considero, *TIBI* utpote litterarum non solùm *Cultori & Amatori specialissimo* , sed & Studij Frisingensis *Superiori Colendissimo*, quippè *Scolastico Dignissimo* præ alijs, ut consecrem, debita exigit observantia.

Si Materiam , quam continet , interrogo , hæc , nec dubitare , nec deliberare promittit, sed omni consideratione neglecta non nisi *TUO sub Præsidio* in lucem publicam prodire præsumit : nec immeritò ; nam Simoniam impugnat, hinc ut *Protetorem habeat Amicum , infensissimum*

EPISTOLA

Simoniæ meritò quærit *Inimicum*,
Religiosa quidem justa, & vera pro-
ponit, sed odiosa ; unde inimicos
providè timens, impavidum & con-
stantem Religionis ac Justitiæ veri-
tatisque propugnatorem, sui cupit
habere defensorem : qualem *TE* es-
se fama communis & publica non
tantùm prædicat, sed etiam quoti-
diana continuis actibus comproba-
ta experientia in effectu apertè de-
monstrat. Nec mirum, constan-
tem Religionis Justitiæ ac veritatis
TE esse *Possessorem* ; quia illa, sine
quibus vitia contraria nunquam vo-
lunt adesse, à *TE* semper noscuntur
abesse, munera nempe & acceptio
personarum. Hæc sunt, quæ Teste
Divino oraculo Deut. 16. *Excœcant*
oculos sapientium, & *mutant verba*,
Justorum; hinc quia *in TE* non re-
periun-

DEDICATORIA.

periuntur, virtutes præfatæ vim nul-
lam patiuntur ; nundinatio fœda
nescitur ; nec verba more vestium
suspenſa venduntur, sed procul per-
sonarum respectu, æquo causarum
& meritorum aspectu, ad Religio-
nis & Justitiæ amissim non absque
Justorum consolatione , nec sine
malorum murmuratione ea , quæ
ex officio debes, singula dispensan-
tur. *TE* Ergo præ alijs materia hæc
Protectorem desiderat , non quòd il-
los præfatis qualitatibus destitutos
credat (quod absit ; plures enim
multorum dotes & virtutes latent
quam patent) sed quod *TE* utpote
super candelabrum publicorum of-
ficiorum posatum , indéque abscon-
di vel latere impotem , quantumvis
cupidum , dictarum virtutum radijs
tenebras contrariorū vitiorum nun-

EPISTOLA

quam admittentibus fulgentissimè
splendescere evidenter cognoscens
securam Protectionem sibi certò
promittat.

Si easdem pagellas , ut à Fratre
Minore Conventūs Frisingensis im-
pletas aspicio , eas ut *TIBI* humili
Reverentia gratóque animo dedi-
cem , debita mandat gratitudo , cun-
ctorūmq; clamat Confratrum mul-
titudo ; *IUA* enim erga Ordinem
nostrum singularissima humanitas
& benevolentia , nec non copiose
effusa beneficia usq; adeò nos obli-
gārunt , ut gratitudinis publicæ mu-
nus vel paululum differre amplius ,
turpe ingratitudinis nefas omnes æ-
stiment , pro insufficienti judicantes ,
gratitudinem nostram existere solum
in occulto ; eo quòd qui furtivè sem-
per & velut in Angulo tantum gra-
tias

DEDICATORIA.

tias agunt , non tam fateri , quām
dissimulare beneficia justē censean-
tur. Quapropter *REVERENDIS-*
SIME, ILLUSTRISSIME, & GRA-
TIOSE DOMINE DOMINE PA-
TRONE OBSERVANDISSIME ac-
ceptare dignare paginas has publi-
cas , quas in publicum debitæ ob-
servantia argumentum , & apertum
gratitudinis nostræ monumentū no-
mine Conventū nostrā omni , qua-
par est , reverentiâ humillimè *TIBI*
dedico. Exiguum quidem & vile
munus est ; sed eo ipso ad *TE* pro-
perat , ut à splendore *Auctoritatis Tuæ*
valorem acquirat. Parvum est ; at
simul magnum ; quia maximæ ob-
ligationis vectigal. Parvum est ;
quia majora *TIBI* debentur : ma-
gnum ; quia majus nihil habemus :
nisi forsan preces nostras , quas pri-

EPISTOLA DEDICAT.

dem participatione generali , quia
TIBI pleno affectu jam donavi-
mus , de novo non amplius offeri-
mus, bene tamen oblatas irrevoca-
biliter confirmamus, humillimè ro-
gantes, ut *TU AM* quoque erga nos
ordinemq; nostrum singularem be-
nevolentiam & affectum in futu-
rum confirmare non dedigneris.

Ita vovet

*Nomine Conventus Frisin-
gensis omnium infimus*

Fr: SIGISMUNDUS NEÜ-
DECKHER , SS. Theolo-
giæ Lector.

PRÆ-



P R A E F A T I O

Ad Lectorem.

DUX sunt causæ, benevole Lector,
cur hæc potius, quam aliâ mate-
riâ libellum hunc impleverim.
Una & quidem præcipua est, ut gravissi-
ma Simoniæ malitia (*ad cuius comparationem*
teste Pascali Papa c. patet. eaus. i. q. 7.
Omnia crima quasi pro nihilo reputantur)
grandiâq; animarum pericula & Ecclesia-
rum damna inde provenire solita, à non-
nullis hæc tenus parùm curata, imò con-
tempta & risui habita aliqualiter saltem
innotescerent. Altera est, quia materia
hæc accommodata & utilis videbatur disci-
pulis concreditis, utpote omnibus ad sta-
tum clericalem aspirantibus. Verùm quia
est materia non modicè odiosa, nihil po-
sui, quod non communi tam Theologo-
rum quam Canonistarum auctoritate sta-
bilitum,

bilitum , vel expresso jure sancitum ; aut
evidenti ratione munitum inveni , ut vel
inde fides , quæ hac in materia sat̄is dif-
ficerter præbetur , eò minus negaretur.
Stilo sum usus , quantum potui , simplici ,
claro & brevi , ne ulli legentium diffici-
lis essem vel molestus. Contentum to-
tum compendiosè indicat sequens
Elenchus. Lege , si placet
& vale.



ELEN-



ELENCHUS DISPUTATIONUM ET QUÆSTIONUM.

DISPUTATIO I.

De Simoniâ ejusque divisione ut sic.

QUÆSTIO I.

Quid, quantæq; malitia sit Simonia?

QUÆSTIO II.

De Materia Simoniae, & pretio vel munere Simoniano, sive de re spirituali, vel temporali, quæ pro invicem dantur in Simonia.

QUÆSTIO III.

An sit Simonia dare aliquod temporale non tanquam pretium pro spirituali, beneficio v.g. Ecclesiastico, sed tanquam motivum, id est, ut mediante hoc temporali moveatur alter, & alliciatur ad dandum spirituale?

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An & quando sit Simonia, ex gratitudine vel
gratuita recompensatione dare vel promit-
tere temporale pro spirituali, beneficio præ-
fertim Ecclesiastico?

QUÆSTIO V.

Quotuplex sit Simonia?

DISPUTATIO II.

De quibusdam Simonijs in specie, ijs
præcipue, quæ in beneficijs Ecclesiasticis &
Religionis ingressu committuntur.

QUÆSTIO I.

Quibus modis Simonia committi possit in Ele-
ctione & postulatione?

QUÆSTIO II.

De Simonia, quæ committitur in præsentatione
& collatione beneficiorum.

QUÆSTIO III.

An, & qualia peccata committantur, si bene-
ficia præfertim curata relictis dignioribus
conferuntur minus dignis?

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

*De Simonia, quæ committitur in resignatione
beneficiorum.*

QUÆSTIO V.

*Quænam, & quot personæ in conferendis, ac-
quirendis, & procurandis beneficijs, labe
Simonia infici possint?*

QUÆSTIO VI.

*De Simonia, quæ committitur per ingressum,
seu receptionem in Religionem.*

QUÆSTIO VII.

*De Simonia, quæ committitur in venditione &
commutatione rerum sacratarum, & bene-
dictarum.*

DISPUTATIO III.

*De Causis & Titulis excusantibus à
Simonia, ubi etiam de pænis & di-
spensatione ejusdem.*

QUÆSTIO I.

De Causis & Titulis excusantibus à Simonia.

QUÆSTIO II.

*An & quando redemptio vexationis excusat à
Simonia?*

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De pœnis Simoniae.

QUÆSTIO IV.

De restitutione Simoniacè acceptorum.

QUÆSTIO V.

*De causis excusantibus à pœnis Simoniae & re-
stitutione, nec non de dispensatione Simo-
niae.*



DISPU-



DISPUTATIO I.

De Simonia, ejusque divisione ut sic.

Vtea, quæ de Simonia in specie hasce per pagellas trademus, melius cognoscantur, disputationem de Simonia natura in genere, ejusdemque prima ac generica divisione præmittimus; nam monente Philosopho, qui species rerum perfectè cognoscere cupit, earundem gradus genericos prius consideret, oportet. Ponitur ergo.

QUÆSTIO I.

Quid, quantæque malitiæ sit Simonia?

I. **N**otum, apud DD. communiter receptum, & in Jure manifestè expressum est, Simoniam secundùm nominis ethymon derivari à Simone mago, quia iste in novo testamento omnium primus, & quidem gravissimè hoc vitio se inquinavit, utpote qui non tantùm rem maximè spiritualem, nempe potestatem illam admis-

A

tabilem

rabilem conferendi Spiritum sanctum pecuniā emere malitiosè volebat, *Act. 8. Obtulit eis (Apostolis) pecuniam dicens, date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuerom manus, accipiat Spiritum sanctum;* Sed iusuper intentione pessima malitiam hanc duplicante id attentabat, videlicet, ut potestatem illam pecuniā consecutus, eandem alijs iterum vendendo quæstum & lucrum temporale facere posset. Prout communiter observant SS.PP. & habetur injure c. i. q. 3. *c. Salvator: ibi: Simon magus non Spiritum S. propter Spiritum sanctum, sed ideo, quantum in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione multiplicatam pecuniā acquireret.* Hinc licet jam ante Simonem etiam alij, ut *Balaam num. 22. Giezi, 4. Reg. 5.* hoc vitium perpetrârint, non tamen ab ipsis, sed à Simone vitium hoc suum obtinuit nomen, neque subsequenter scelus istud comittentes Giezitæ, sed Simoniaci sunt vocati: tum quia præcedentes in veteri, Simon verò, & quidem omnium primus in novo testamento; tum quia illi non tam graviter ac iste hoc vitio se contaminârunt. His de nomine Simoniae præmissis, de natura Simoniae ponitur.

2. Conclusio 1. *Simonia est veluntas studiosa emendi, aut vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum pro re temporali.* Ita communis TT. & canonistarum ex glossa causa I. q. 1. statim in principio y. quidam, ubi licet ultima verba

ba pro re temporali non inveniantur, communiter tamen à DD. majoris claritatis gratia apponuntur. Declaratur definitio. Dicitur voluntas, id est actus voluntatis, sive sit elicitus sive imperatus, sive in - sive externus; non enim solo actu voluntario externo imperato, sed & interno Simonia committitur: ut si quis interna cogitatione proponat, acquirere quid spirituale pro re temporali coram Deo jam Simoniacus est. Additur studiosa id est deliberata, sive actus deliberatus cum advertentia mali elicitus: defectus cuius à Simonia immunes sunt actus ex inadvertentia, vel ignorantia invincibili, vel aliás inde liberatè producti. Dicitur emendi vel vendendi: quibus verbis non tantum dennotatur vera emptio & venditio, sed omne aliud pactum, & contractus, sive sit nominatus, ut locatio, permutatio, transactio &c. Sive innominatus, do ut des, do ut facias, facio ut facias &c. sive sit tacitus, sive expressus, quovis enim horum, si res temporalis pro spirituali, vele contra datur, aut promittitur, vel dari proponitur, Simoniam committi unanimiter tenent DD.

3. Dicitur aliquid spirituale, vel spirituali annexum, quo nomine non intelligitur incorporeale, sed quod est aliquo modo supernaturale, præsertim ad animarum salutem ordinatum, de quo adhuc infra q. 2. n. 14.

4. Dicitur pro re temporali: malitia enim.

Simoniæ potissimum in hoc consistit, quod spirituale omnia temporalia sine comparatione excedens, ita vilipendatur, ut æstimetur re vel pretio temporali, eique comparetur, nec non humanae contractibus subjiciatur, quod dignis dari debet gratis, præcipiente Salvatore Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Intelligitur autem per rem temporalem omne illud, quod est pretio æstimabile, de quo q. sequenti.

5. Conclusio 2. Simonia est mortale peccatum sacrilegij, gravissimum, & plerumque etiam perniciosissimum. Ita certa & unanimis DD. quod sit sacrilegium, patet; quia per eam indignè & irreverenter tractatur res sacra, quod semper est sacrilegum, quod vero etiam sit gravissimum, apertè in primis constat ex scriptura sacra Act. 8. Ubi S. Petrus in Simonem ob vitium hoc commisum cum æternæ perditionis combinatione acriter invehendo dicit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ posideri.* Quæ verba lingua Apostolica nunquam protulisset nisi sceleris gravitas exegisset. Cōstat idem manifestè ex jure canonico varijs in locis ut o. reperiuntur 7. caus. 1. q. 1. Ubi Simonia vocatur execrabile flagitium c. sane 4. causa 15. q. 3. criminis publico & Læsa Majestatis æquiperatur. c. 6. de Simonia: dicitur pestis sui magnitudine alios morbos vincens c. patet. fin. caus. 1. q. 7. Gelasius Papa Simoniæ vitium non tantum

præ-

præcipuæ hæresi assimulat, sed insuper gravissimam malitiam & pravitatem illius paucis exprimere volens, execrabile hoc scelus tantum esse declarat, ut *omnia crimina ad comparationem illius quasi pro nihilo reputentur*. Unde & illud omnibus redderetur magis odiosum, decernitur *can. erga Simoniacos c. i. q. i. ne ullis Simoniacis etiam in dignitate constitutis aliqua misericordia exhibeat*ur &c si Dominus 3. &c. tanta 7. de Simonia contra Simoniacos ubivis aliæ rejecti & inutiles pro legitimis admittuntur testibus.

6. Rationes autem hujus conclusionis plures sunt, ex quibus duas magis efficaces, à DD. communiter adductas, & in jure comprobatas feligo, quarum prima est; quia per Simoniam res sacræ ac spirituales indignissimè tractantur, maxime profanantur, & irreverenter vilipenduntur, hoc ipso, quod, dum Simoniacè dantur vel procurantur, re aut pretio temporali æstimantur, eique coæquentur, & æquiparentur, cùm tamen quævis etiam minima res spiritualis omnia mundi pretia longè superet. Quinimo nō tantum res spiritualis, sed in rebus spiritualibus Spiritus S. ipsemet indignissimè tractatur, pretio temporali vilissimo æstimatur, emendóq; & vendēdo servus creaturarum in libera earundem potestate positus execribili sacrilegio efficitur. Prout verbis expressis habet c. eas 221. caus. i. q. i. ibi: isti: c: moniaci Spiritum S. efficiunt servum suum,

omnis enim Dominus , quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquid alium eorum, quæ possidet. Similiter, & qui emit, Dominus ejus volens esse, quod emerit, per pretium pecuniae illud acquirit, ita & qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto &c. Atque Iude comparantur proditori, qui Dei occisoribus Christum vendidit. Quid plus ad probandam Simoniacæ militiæ gravitatem, ejusque detestationem dicū posset?

7. Secunda ratio, quæ & tertia pars conclusionis est; quia, ut observat castro palao, Pirhing b. t. n. 3. cum alijs Simonia (præsertim in beneficijs) Ecclesiæ perniciosissimum, & vel inde pessimum vitium est: Utpote quo faciliter fit, & utinam non sæpe fieret, quod indigni assumantur ad prælaturas cum gravi Ecclesiæ ac subditorum damno & præjudicio, beneficia conferant ijs, qui parùm attendentes onera beneficiorū solùm inhiant pinguisbus redditibus non sine injuria & defraudatione intentionis fundatorum: Ecclesijs parochialibus præficiantur tales, qui vel defectu sufficientis scientiæ & morum necessarium doctrinæ & boni exempli panulum ovibus subtrahunt, easque lenta fame perimunt, vel, quod deterius est, malè habituati vitijs apertè indulgendo easdem malo exemplo crudeliter mactant, indéque non tam pastorem, quam lupum pro custodia sua habere cogantur misse.

miseræ ac simplices oves cum ingenti earundem strage & interitu, sicut enim per bonos ac dignos pastores plurimas salvari oves ingénsque emolummentum spirituale provenire certum est, ita per malos & indignos innumerás perire, detrimentumque spirituale deplorandum sequi compertum est. Væ illis, qui Simoniaco lucro execrati, vel temporalium intuitu permoti, causa sunt, quod vel unus indignus, aut neglecto digniori minùs dignus constituatur pastor ovium: illis verò, qui beneficia Simoniacè procurant & aquirunt, dupliciter Væ, utpote qui præter peccatum gravissimum in procurando & accipiendo beneficio commissum in continuis peccatis, verme conscientiæ jugiter mordente perseverant, donec beneficium, fructúsque inde perceptos restituant, quod ex multis quam pauci faciant, alijs considerandum relinquo.

8. Ex quibus abundè patet gravitas malitiæ Simoniacæ, & veritas conclusionis: quia stante planè mirari licet, quod nihilominus aliqui repariantur, qui intuitu vilissimi pretij aut emolummenti temporalis execrabili & gravissimo hoc vitio se contaminare, æternæque perditionis periculo se exponere non horrent. Non juvat, si dicunt rem temporalem, quam pro re spirituali beneficio v. g. dant vel accipiunt, esse modicam & exiguum, levemque materiam, nam contra est.

9. Conclusio 3. in Simonia non datur levitas materiæ. Ita. *Sanoh. lib. I. decal. c. 4. n. 1. castro Palao de Simonia pun. I. n. 7. Bonacina. de Simonia q. 3. n. 13. Layman l. 4. tr. 10. c. ult. §. I. n. 4. Filliuci. Tom. 3. tr. 15. c. 1. q. 6. n. 13. cum communi aliorum contra Reginaldum lib. 23. c. 11. n. 166.* putantem dari parvitatem materiæ saltem ex parte rei temporalis; quamvis si benè legatur, & ipse pro conclusione hac stare, dignoscatur. Probatur autem conclusio ex jure c. ex tuæ 20. de Simonia, ubi clericus sex solu- modo solidos pro aquirendo ordine sacerdotali solvens pæna perpetuæ suspensionis ab ordine punitur, quæ pæna utpote gravis haud du- biè gravem culpam supponit. Item can. pla- cuit 102. caus. I. q. I. etiam tremissis tantum. (est tertia pars solidi juxta Glossam hic ¶. tre- missem.) pro modico Christmate dare prohibe- tur; ne fortè, inquit jus, quod pro salute anima- rum per invocationem S. Spiritus consecratur, sicut Simon magus donum Dei pecuniam voluit emere, ita nos venumdantes damnabiliter venumdemur.

10. Ratio conclusionis est; quia nec ex parte rei spiritualis, nec ex parte rei temporalis, ma- teria moraliter levis in Simonia dari potest: ut benè argumentatur *Palao cit.* non ex parte rei spiritualis, hæc enim quantūvis parva v. g. aqua benedicta, vel agnus Dei, ut vocant, si pro quacunque re temporali datur, eique æqui- paratur,

paratur, irreverenter ac sacrilegè tractatur, magnaque cum injuria æqualis cum re temporali pretij indignissimè æstimatur, quæ omnibus mundi thesauris sine comparatione præstantior est: nec ex parte rei temporalis; quia quo minor hæc est, eo magis vilipenditur, & indignè tractatur res spiritualis, utpote quæ tam parvo prelio æstimatur & æquiparatur.

II. Ob: contra hanc conclus. c. et si questio-
nes 18. de Simonia, ubi ratione pretij modici
quis excusatur à Simonia, ergo etiam in hoc vitio
datur parvitas materiæ. R. concedendo authori-
tatem sub hac distinctione: cit. c. excusat à Si-
monia modicum pretium ex eo, quasi hoc ad
peccatum mortale, gravemque Simoniam non-
sufficeret, nego ant. ex eo, quia modicum pre-
mium præsumitur gratis datum, ac insufficiens
ad obligandum & movendum accipientem pro-
datione rei spiritualis, concedo ant. & nego
conseq. veritas responsionis patet ex. c. cit. Ibi.
si persona offerat electuarium, aut de vino, aut de
alijs hujusmodi, quæ modici pretij sunt, & quæ vo-
luntatem recipientis movere non debeant, Ecclesia
Romana interpretari non consuevit, accipientem
in his delinquere, vel dantem. Sufficit ergo ad
constituendum grave Simoniae peccatum quævis
etiam minima res temporalis, si datur obligato-
riè, vel salrem ut motivum pro consequenda re
spirituali, licet in foro externo non puniatur ab

Ecclesia, utpote quæ interpretari solet, hujusmodi modica esse gratis data & accepta, cùm verisimile non videatur, aliquem tam modica removeri, ut ram execrabile flagitium committar. Et ita nec aliter sentit ipse Reginaldus, alias conclusionis adversarius citatus.

Q U Ä S T I O II.

De materia Simoniæ & prelio vel munere Simoniaco, sive de re spirituali & temporali, quæ pro invicem dantur in Simonia.

12. **N**ot: primò rem sacram, quæ datur vel accipitur pro re temporali, communiter à DD. vocari Materiam Simoniæ, rem verò temporalem vocari pretium vel munus Simoniæcum, conformiter juri c. *sunt nonnulli 114. causa 1. q. 1.* ubi hujusmodi temporale munus dicitur. Hinc quia, uti ex præced. q. constat, Simonia committitur, quando temporale datur, pro spirituali, ulterius pro majori Simoniæ intelligentia videndum est, quid per illam rem spiritualem & temporalem intelligatur, sive, quod idem est, quid materia Simoniæ, & quid sit premium seu munus Simoniacum. Pro quorum primo ponitur.

13. Conclusio 1. materia Simoniæ sive res spiri-

spiritualis seu spirituali annexa sive quasi spiritualis est omne illud, quod aliquo modo ad supernaturalem bonorum ordinem spectat, & ad salutem hominis ordinatur. *Ita Marchant Tom. 3. Tract. 10. 95.* cum communī aliorum, nec est, qui in hoc aliquam controversiam movet, Variē tamen hujusmodi spiritualia dividunt, quorum aliqua essentialiter talia, alia causaliter, alia effectivē, alia concomitanter, alia consequenter, alia antecedenter spiritualia esse dicunt, ut vide-re est apud *Pirh. de Simonia sect. I. §. I. n. 2.* Verūm quia horum explicatio plus obscuritatis, quām claritatis afferre videtur, nullāque in re sit controversia, cum juxta omnes quævis illarum revera sit materia ad Simoniam sufficiens, hinc ob brevitatis leges horum declarationem omit-tendo, pro conclusionis intelligentia aliqua spi-ritualia in specie adduco. Sunt ergo materia-Simoniæ, omnes gratiæ supernaturales tam gra-tiis datæ, quām gratum facientes: item omnes virtutes tam morales quām Theologicæ, omnes orationes, omnia Sacra menta, omnia Sacramen-talia, ut sunt aqua benedicta, benedicta item nu-mismata, cruces, agnus Dei, rosaria, panes, & alia quæcunque benedicta, ut vestimenta & vasa sacra v.g. item ipsæmet benedictiones, consecra-tiones ac functiones spirituales: omnes actus ordinis & jurisdictionis spiritualis, item omnia beneficia Ecclesiastica, omnia enim hæc aliquo modo

modo ad bona supernaturalia spectant, & ad animalium salutem ordinantur : hinc quoties pro his datur temporale, Simonia committitur, nisi justus excusat titulus, de quo infra.

14. Conclusio 2. pretium Simoniacum siue Simoniæ (loquendo de jure divino ac naturali) est omnis & sola res temporalis. Ita certa est communis omnium, patetque ex definitione Simoniæ n.2 tradita. Et ratio est, quia essentia lis pravitas Simoniæ principaliter in hoc consistit, quod res spiritualis omnia temporalia longè excedens, comparetur & estimetur vili pretio temporali, indeque vilipendatur, & irreverenter tractetur : ut pariter constat ex quæst. præced. n.4. &c. 6.

15. Dixi in conclusione *spectato jure divino vel naturali*, quia de jure humano Ecclesiastico Simonia committi potest, etiamsi nulla interveniente re temporali solum spirituale detur pro spirituali : talis Simonia juris humani est omnis permutatione beneficiorum à privatis facta sine auctoritate vel licentia superiorum. Arg. c. quæstum. 5. &c. cum olim. 7. de rerum permutatione. Verum extra materiam beneficiorum in nullo alio Simonia ulla committitur, si spirituale datur pro spirituali, ratio est ; quia hoc à jure tanquam Simoniacum nullibi prohibetur ; et si enim plures reperiantur Canones generaliter vel specialiter prohibentes pactiones in rebus spirituibus,

libus, loquuntur tamen omnes de ijs pactionibus, in quibus quid temporale datur pro spirituali, prout observat, *Pirhing de Simonia* sect. 5.

§. I.n. 124.

16. Conclusio 3. res temporalis, seu pretium Simoniacum, in jure munus vocari solitum, dividitur in munus à manu, munus ab obsequio, & in munus à lingua. Ita iterum communis DD. conformiter juri. c. sunt nonnulli 114. caus. I. q. I. ibi, aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Verum ut pretium Simoniacum melius intelligatur, tria hæc primùm assignata membra singillatim explico & declaro.

17. Munus igitur à manu est non tantum pecunia, quæ propriè pretium est, sed omnis alia res temporalis externa pretio æstimabilis, quæ utilitatem vel commodum aliquod tempore affert, sive dein sic mobilis, sive immobilis, sive corporalis, sive incorporalis. Huc etiam referatur debiti remissio, mutui datio, solutionis dilatio, vel etiam anticipatio, hæc enim omnia sunt revera pretio æstimabilia. *Layman de Simonia*. §. 3. n. 25. *Bonacina de Simonia*. §. I. n. 3. & communis aliorum; habetur expressè in jure. Et quidem de pecunia c. sunt nonnulli 114. caus. I. q. I. ibi: munus à manu pecunia est. De rebus alijs pretio æstimabilibus, mobilibus seu immobilibus c. totum. 6. caus. I. q. 3. ubi omnia hæc pecunia æqui-

æquiparantur his verbis: *totum, quidquid homines possident in terra, omnia, quorum Domini sunt, pecunia vocatur; servus sit, vas, ager, pecus &c.* De remissione debiti *ex c. veniens 10. de testibus & attestantibus.* de datione mutui, dilatatione vel anticipatione solutionis colligitur. *ex L. quisquis 16. si centum petat.* Rationem dant DD. quia in omnibus his reperitur aliquod commodum aut utilitas temporalis, intuitu cuius, si spirituale datur, haud dubiè pravitas Simoniaca committitur.

15. Ex quibus colligitur, non tantum Simoniam esse, si tacito vel expresso pacto interveniente pro re spirituali beneficio. v. g. datur, promittitur vel exigitur pecunia, sed etiam, si alia mobilia prætio estimabilia, & utilitatem aliquam temporalem afferentia, v. g. artificiosæ picturæ, aurea vel argentea vasa, currus cum equis &c. esculenta aut poculenta, ut dolia vini, cervi, boves aut vaccæ: vel si immobilia ut ager, vinea, hortus, vel etiam jus aliquod quodcunq; tandem temporale percipiendi datur vel promittitur. Rursus Simonia est; si collator aut præsentator beneficij, vel tertius dicat: dabo vel procurabo tibi beneficium, si remittis mihi, quod tibi debedo, vel si per aliquot annos adhuc exspectas solutionem: vel si mutuas das pecunias, aut si modò solvis & anticipas, quod subsequenti año debes; idem est, si ad talia prius se offert & promittit

mittit Orator pro beneficio impetrando, dicens
v. g. anticipabo solutionem & statim solvam,
quod alias primū post aliquos annos deberem.
Ratio universalis est; quia cùm in omnibus his
reperiatur & spectetur aliqua utilitas vel com-
modum temporale, revera datur, vel promittitur
temporale pro spirituali consequenter vera com-
mittitur Simonia.

19. Munus ab obsequio, est omne servi-
tium, vel obsequium temporale interveniente ta-
cito vel expresso pacto pro re spirituali præsti-
tum, vel præstandum. Ita communis & colligi-
tur ex c. cùm essent 12. de Simonia.

20. Hinc colligitur Simoniam esse, si quis
interveniente pacto tacito vel expresso serviat
Episcopo, ut suo tempore ab ipso beneficium
impetret. Item, si alicui præsentatori v. g. Patro-
no alicui laico serviat Capellanus, ejus juventu-
tum in Grammatica v. g. instruendo, vel aliud
obsequium temporale præstanto, ut eum ali-
quando ad beneficium vacans præsenteret. Idem
est, si reciprocè collator conferat, vel eligens vo-
tū det, ut beneficiarius collatori vel præsentatori,
aut eorum consanguineis certum obsequij tem-
poralis genus præstet v. g. consanguineos ad ser-
vitia afflumat &c. num autem Simonia sit, si quis
serviat sola spe consequendi beneficium dice-
mus infra. q. 3. n. 37. & 38.

21. Munus à linqua sunt laudes, commen-
datio-

dationes, intercessiones, preces, ac alia linguae servitia, quæ interponuntur vel interponi promittuntur pro aliquo ex vi pacti, ut vicissim spirituale conferatur. Ita cum suor. L. 4. de Simonia, Bonacina de Simonia §. 1. n. 13, communis. Quid colligitur ex c. sunt nonnulli. 44. caus. 1. q. 1. ubi habetur: minus a lingua est favor: per favorem autem intelliguntur preces. c. nemo. 14. de Simonia.

22. Colligitur Simoniam esse: si collator vel præsentator beneficij dicat, ego conferam tibi hoc beneficium, vel præsentabo te; si tu vel parentuus, vel ille magnus consanguineus tuus, pro me aut amicis meis apud Principem vel magnum aliquem Dominum, intercedat, vel me commendet, vel si tua intercessione facias, ut in gratiam iterum redeam, vel si hoc aut illud officium mihi, meōve consanguineo conferatur &c. idem est, si spirituale impetraturus prius ad similia se offert & promittit cum onere, ut eidem spirituale conferatur. Ratio universalis est, quia hujusmodi preces, intercessiones, ac commendationes, sunt quid pretio æstimabile, commodumque & utilitatem temporalem afferunt, consequenter, si pro re spirituali interponuntur, aut promittuntur, revera temporale pro spirituali datur, sicutque vera Simonia committitur.

23. Notandum tamen cum Bonacina loco cit, & communī aliorum quod, ad hoc ut preces, com-

Commendationes &c. sint premium Simoniacum, fieri debeant ex pacto tacito vel expresso, inito cum eo, qui spirituale confert. Hinc sequitur Simoniam non esse, si quis gratis & absque ullo pacto intercedat pro aliquo collatore beneficij, veleum ejusq; amicos apud Principem commendet laudet &c, indeque postea collator beneficij tali suo aut suorum laudatori, commendatori vel consanguineo beneficium ex gratitudine conferat: item Simonia non est, si quis beneficium accipit, & postea ex gratitudine sola absque praecedente ullo pacto pro collatore, presentatore &c, ejusve consanguineis intercedat, eosque commendet, laudet, vel aliás ad commodum & utilitatem eorum loquatur. Rursus Simonia non est; si alij quicunque pro aliquo intercedant, & sine aliquo pacto, precibus aut recommendatione eidem beneficium, vel aliam rem spiritualem impetrant; eo quod c. latorem 121. caus. 1. q. 1. ipsemet Papa fateatur, se ad intercessionem alterius alicui rem spiritualem, ordinem nempè Acolythatū contulisse. Multò minus Simonia erit, si quis per se ipsum precatur, rogat, & supplicat pro beneficio aut aliā re spirituali absque aliquo pacto, prout constat ex c. th. annos 34. de Simonia, ubi declaratur, quod humiliter roganti Canonicatus conferri possit sine scrupulo Simoniacæ pravitatis.

Ceterū licet ad intercessionem vel recom-

mendationem aliorum gratis, ac sine ullo pacto
interveniente factam, conferentes beneficia non
peccent peccato Simoniæ, nihilominus in alio
genere gravissimè peccare possunt; si nempè in-
tuitu talium precum & recommendationum
conferant beneficia præsertim curata indignis,
aut relictis dignioribus minus dignis prout di-
cetur disp. seq. q. n.

QUÆSTIO III.

*An sit Simonia, dare aliquod tempora-
le non tanquam pretium pro spirituali, be-
neficio v.g. Ecclesiastico, sed tanquam motivum, id
est, ut mediante hoc temporali alter moveatur,
& alliciatur ad dandum spiri-
tuale.*

24. *S*i quæ in præsenti materia, hæc certè sicut
& sequens quæstio scitu utilis & necessaria,
indéque discussione digna est, eò quòd sit summè
præctica: quæ ut melius intelligatur, casum præ-
mitto, ex quo quæstionis sensus clarè percipie-
tur.

25. *T*itius Clericus in notitiam venit, vacare
aliquam Parochiam, vel Canonicatum, aut aliud
quodcunque tandem beneficium, hoc ipse impe-
traturus illico, antequam aliij conferatur, ad Col-
latorem, vel Præsentatorem beneficij se confert,
eique

ei que se commendat, & pro collatione beneficij seu præsentatione ad illud, debito respectu supplicat. Verum quia vides, alios quoque adesse vel certè brevi venturos competentes; hinc ut præ alijs beneficium aquirat, Collatori vel Præsentatori aliquam certam pecuniae quantitatem, vel aliud honorarium temporale in secreto offerat, sine ullo externo pacto, aut imposita obligatione, ut reciprocè ab ipso beneficium recipiat. Hac tamen intentione & fine, ut inde collator vel præsentator ad conferendum sibi beneficium moveatur & incitetur.

26. Similiter aliquis Patronus jus habens præsentandi, vel alias ordinarius beneficij collator, confert alicui beneficium sine ullo pacto externo, aut obligatione imposta, hac tamen principali intentione, ut eundem moveat ad dandum illi vel suis consanguineis aliquid temporale. De his itaque & similibus casibus præfens quaestio investigat, an committatur Simonia nec nec?

27. Ante solutionem notandum, circa hanc materiam gravem olim & quasi communem usque ad tempora Innocentij XI. fuisse errorem, saltem materialem plurium cæteròquin insignium Anthorum, qui tenebant, in dictis casibus si nempe temporale detur non ex pacto, sed tantum ut motivum consequendi spirituale, non esse Simoniam, qui proin in hoc passu cautè le-

gendi & nequaquam imitandi ; nam ponuntur.

28. Conclusio 1. in casibus specificatis, & universaliter, quotiescumque datur temporale etiam sine pacto externo, vel obligatione imposta sed duntaxat ut motivum consequendi spirituale, beneficium v. g. vel econtra, perfecta comittitur Simonia. Conclusio moderno tempore est certa : cui contradicentem nec scio, nec credo aliquem, qui post decretum Iunocentij scripsit : Eam expressè tenet *Joannes Cardennas in crisi Theologica dissert. XXVII. super propositionem damnatam n. 45. & 46.* Probatur 1. & quidem fortissimè ex decreto *Innocentij XI. edito 2. Martij, 1679.* in quo doctrinam conclusioni contrariam tanquam scandalosam, & in praxi perniciosa damnavit, quæ continebatur in sequenti propositione : *dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale.* Quæ propositione, quia à Pontifice declarata est ut falsa, scandalosa, & perniciosa, consequenter vera erit doctrina huic contradictoria, quam ponit conclusio, cùm duo contradictoria nequeant esse simul falsa. Et quamvis stante decreto allegato conclusio ulteriori probatione non indigeret, Nihilominus, ut veritas ejus errórque antiquus magis appareat.

29. Probatur secundo. ex jure c. et si questio-
nes 18. de Simonia: ubi Archiepiscopus strigo-
niensis ex quodam scrupulo timens, an non Si-
moniae saltem participativè sit reus, eò quòd fra-
ter illius Cardinali pallium afferenti equum ob-
tulerit, Papam consuluit, inter causam sui scru-
puli allegando illud scripturæ: *Beatus qui excu-
tit manus suas ab omni munere: rescripsit Ponti-
fex, Simoniam non esse commissam, & ad textum*
respondit his verbis. Quod autem scriptum est,
(beatus, qui excutit manus suas ab omni munere)
*de illis donis dictum est, quæ accipientis animum al-
licere & perverttere solent: quoniam, si ipsa perso-
na electi offerat ordinatori, vel consecratori suo
electuarium, aut de vino, aut de alijs hujusmodi,
quæ modici pretij fuerint, & quæ voluntatem reci-
pientis inclinare vel movere non debeant; non ta-
men Ecclesia Romana interpretari consuevit, acci-
pientem in his delinquere vel donantem. Ex qui-
bus apertè constat, offerre munera, quæ accipi-
entis animum movere & allicere possunt ad dan-
dum spirituale, Simoniacum esse, consequenter,
qui dat quid temporale hac intentione & fine, ut
moveat & alliciat ad dandum spirituale, et si non
paciscatur, nec obligationem imponat, Simoni-
am committere.*

30. Nec inferas ex hoc, ergo saltem Simo-
niæ reus non erit, qui offert esculenta & pocu-
lenta aut alia exigui pretij. ut animum accipien-
tis

tis moveat & alliciat ad dandum spirituale.
 & enim negando illatum, nam licet talis non
 præsumatur Simoniacus ab Ecclesia, utpote quæ
 benignè interpretatur, modica esse gratis data &
 accepta, nihilominus coram Deo verè Simoni-
 cus est. Sive ergo multum sive modicum, etiam
 de esculentis & poculentis quis det, si facit hac
 intentione, ut moveat accipientem & alliciat ad
 dandum spirituale. beneficium v.g. Ecclesiasti-
 cum, semper coram Deo Simoniam committit.
 prout jam etiam notavimus supra q. 1. n. 10. &
 seqq.

31. Probatur conclusio 3 ex c. tua nos. 34.
de Simonia: ibi Innocentius III. consultus re-
 spondit, quod si quis Clericus bona temporalia
 gratis offerat non paciscendo, sed humiliter ro-
 gando, ut in Canonicum recipiatur, Simoniam
 non esse. Si tamen (sunt verba formalia ad pro-
 positum nostrum) is, qui tales donationem facit,
 eā intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ
 offert, spiritualia valeat adipisci: & Clerici, qui
 eum in fratrem admittunt, non effent eum, nisi
 commoda temporalia perciperent, admissuri, sine
 dubio tam ille quam isti apud districtum judicem-
 (qui scrutator est cordium, & secretorum cogni-
 tor) culpabiles judicantur; utique de Simonia,
 quia aliud genus vitij in hoc casu posito inter-
 venire non dignoscitur. Quæ verba juris veri-
 tatem conclusionis & falsitatem doctrinæ con-
 trariae

tratiæ damnatae tam manifestè detegunt, ut sanè mirari liceat DD. tam insignes nihilominus hoc in puncto fuisse hallucinatos.

32. Probatur conclusio 4. ratione, quam adducit *Cardenas*: loco cit. num. 28. quando datur temporale pro spirituali eo modo, qui virtualiter & æquivalenter est emptio, revera committitur Simonia, sed qui offert temporale, ut moveat accipientem ad dandum spirituale, dat modo, qui æquivalenter in prudenti & communī estimatione hominum est, & dicitur emptio, ergo. maj. est communis TT. & iuristarū, qui in definiione Simoniae illa verba *emendi vel vendendi* explicantes unanimiter dicunt, per illa verba nō solam emptionem & venditionē stricte talem, sed quemvis alium contractum onerosum, qui in prudenti æstimatione hominum æquivalenter emptio vel venditio dicitur, intelligi. min. probatur à simili: Si quis etiam absque pacto espresso iudici pecuniā offerat, ut eum moveat ad ferendam pro se iniquè sententiam, judexque intuitu pecuniæ motus sententiam iniquam pronuntiat, communiter dicitur, alterum emisse & judicem vendidisse justitiam; quia nempe à parte rei in prudenti æstimatione idem est, justitiam vendere, aut ad injustitiam committendam pecuniā moveri. Sic ad propositum nostrum, qui etiam sine ullo pacto espresso dat temporale, ut moveat ad dandum spirituale, æquivalenter & tacite

emere, & qui inde motus spirituale dat, hoc vendere prudenti aestimatione dicendus est.

33. Dices pro probatione majoris malè allegari communem DD quia hi licet non requirant in Simonia emptionem vel venditionem formalem, tamen omnes requirunt aliquem contractum onerosum, qualis nullatenus intervenit in proposito nostro.

R^e non intervenit contractus onerosus expressè & manifestè conceditur, tacite & implicitè negatur: hoc ipso enim, dum quis offert temporale, ut moveat & alliciat ad dandum spirituale, tacite onus huic dationi apponit, vide licet, ut accipiens reciprocè det: ex nulla enim alia ratione, motivo, aut conditione, temporale dat, quam ut spirituale accipiat, certè nullatenus datus, si sciret, quod accipiens spirituale non daret: quam intentionem, finem, & conditionem dandi, quia probè scit accipiens, licet non exprimatur, tacite sub onere spirituale conferendi accipit, ex quo haud dubiè pactum onerosum tacitum saltem implicitum & æquivalens exurgit, quod juxta omnes ad Simoniam sufficit.
arg. c. et si quest. cit. Et c. tua. n. 8. de Simonia.

34. Confirmatur Si dare vel præstare temporale tanquam motivum consequendi aliquid spirituale, vitio careret Simoniae, facile eludetur omnis Simonia, sicut eludebatur ante tempora Innocentij XI, nam procurantes benefi-

cium

cium omissis terminis expressi alicujus pacti offerendo munera dicebant, & imposterum dictungi essent: quæso habeat me sibi recommendatum, rogo, recordetur mei, dignetur me huic vel illi recommendare, ut hoc vel illud beneficium acquiram &c. qui modus quantumvis à pacto expresso abstrahat, nihilominus quia à parte rei per eum mediante temporali via paratur ad spirituale, verè Simoniacus, & ideo ab Innocentio damnatus est.

35. Dices si etiam iste modus acquirendi beneficia Simoniacus est, sequeretur, quod sanè multi Simoniā infecti essent, & necessariò imposterum inficerentur adhuc: cùm sine similibus modis, datione nempe vel promissione temporalium, beneficia difficillimè acquirantur.

Rq. utrum sequela & ratio ejusdem vera sit, ego abstraho, hoc solūm dico, quod, etsi à parte rei ita se habeant, modos prædictos nequaquam licitos, seu à vitio Simoniæ immunes efficiant, sed inconclusa maneat conclusio, quam repetit sequens

36. Corollarium: quicunque dat, vel præstat qualemque temporale, parvum sive magnum, hac intentione, fine, vel motivo principali, ut alterum moveat, vel alliciat, ad reciprocè sibi dandum, vel procurandum spirituale, beneficium v. g. Ecclesiasticum, Simoniæ vitio se contaminat, etsi verbis expressis contractum vel pactum nullum exprimat.

Quær,

37. Quær. an non saltem liceat dare alicui honorarium , vel aliud obsequium temporale , præstare ad captandam alterius benevolentiam , & conciliandam amicitiam , ut talis postea memor , beneficium ex benignitate conferat ? R^e. quidquid dicant alij , si hujusmodi temporalia pro captanda benevolentia vel concilianda amicitia dantur , aut præstantur principaliter in ordine ad consequendum spirituale , omnino Simoniacum esse ; quia à parte rei planè idem est , ac dare sive præstare temporale , ut moveat & alliciat ad dandum spirituale , quod tanquam Simoniacum ab Innocentio damnatum jam constat ; sive dein alter ex benevolentia , sive ex aliqua obligatione & intuitu temporalium acceptorum , beneficium det ; quia potest etiam ex parte unius esse Simonia , quod haud dubiè Fit , si unus det tempotale , ut moveat alterum ad dandum spirituale , hic verò acceptet quidem , at beneficium non ideo , sed ex alio motivo conferat . Et certè , si modus iste liceret , fraus antiqua ab Innocentio piissimo detecta , novo pallio induita liberimè incederet , dicentibus Simoniacis , non do , vel præsto hoc temporale , ut moveam , vel alliciam ad dandum mihi vel procurandum beneficium , sed ut captem ejus benevolentiam , & amicitiam , meique memorem in conferendo beneficio efficiam . Quocunque ergo termino quis utatur , si per temporalia , spiri-

spiritualia sive directè sive indirectè procurare sibi principaliter intendat & querat, Simonia inquinat, prout ex dictis præsertim ex decreto Innocentij jam satis constat.

38. Dixi principaliter, quia si quis temporalia dat vel præstat principaliter ob alium finem, Simoniam non committit, etiamsi finis aliquis secundarius minus principalis, amicitiam alterius conciliandi, & spes beneficium consequendi concurrat, ut bene observat *Cardenas* dis. 27. c. 5.

A. 3. *Glossa c.* Cùm essent. y. promiserat, de Simonia. Hinc Capellani Episcoporum principaliter ob competens salarym servientes immunes sunt à Simonia, et si secundariò ac minus principaliter suo servitio etiam intendant capta-re benevolentiam Episcopi, & sperent consequi beneficium. Ex quibus faciliter in conscientia

39. Colligitur, an & quis in oblatione vel præstatione temporalium Simoniam committat, aut commiserit: interrogetur conscientia: datusne vel dedissets hoc honorarium, aut præsta-tusne vel præstissets illud obsequium huic vel illi Domino, etiamsi scires vel scivisses, illum in ordine ad beneficium consequendum tibi nullatenus prodeesse, nec te ad illud promovere posse? Si nihilominus dares aut dedissets, jam alium finem principalem habes, & à Simonia liber eris: si non, jam principaliter propter spirituale facis, vel fecisti, sicque Simonia reus eris,

Quæres: an offerens, vel promittens temporale ex intentione, ut alterum moveat & allicit ad dandum spirituale committat Simoniam mentalem vel conventionalem? Rz. si accipiens intentionem dantis non advertit, vel protestatur & contradicit, dantem manere solum Simoniacū mentalem: si autem advertit, & ita accipit fore Simoniacum conventionale, quia jam adest aliquis saltem implicitus & tacitus contractus juxta. n. 32. & 33. & tandem si mutua traditio fit, esse etiam Simoniacum reale pennis juris subjectum. Responsio hæc magis adhuc patebit ex q. 5.

QUÆSTIO IV.

An & quando sit Simonia, ex gratitudine vel gratuita compensatione dare vel promittere temporale pro spirituali, beneficio præsertim Ecclesiastico.

40. **H**æc quæstio æquè, immò magis ac præcedens ob casus quotidianos scitu utilis ac necessaria, valdè tamen odiosa, quia multorum, perversæ praxi è diametro contraria est; non raro enim, aliquos reperire est, qui temporalia pro spiritualibus beneficijs præcipue Ecclesiasticis promittere & offerre, accipere & exigere, prætenso titulo gratitudinis, eoque Simonias omnes tegere,

tegere, vel potius contemnere & risui habere, in dedeque sacra quævis sacrilegè profanare & contaminare non verentur. Certè enim si temporalia pro spiritualibus promittere vel offerre, accipere vel exigere, ex titulo gratitudinis promiscue licebit, brevi omnis Simonia evanescet, & risui habebitur; dum (uti in simili jam dictum est q. præced.) quivis, ut illam evadat, omissis alijs terminis terminum gratitudinis adhibebit. Verùm dum specioso gratitudinis pallio coram hominibus Simoniam abscondunt, oculum omnisciij corda scrutantem & tenes, non effugiunt, nec murmur ac remorsum conscientiæ evadunt.

41. Ut autem quæstio hæc melius discutiatur, faciliusque capiatur, quid in hoc punto malum, quidve bonum sit, tria examinabimus. Primò an sit Simonia pacisci vel promittere aliquid temporale pro spirituali vel econtra, ex solo titulo gratitudinis? 2. an Simoniacum sit absque pacto temporale pro spirituali aut econtra dare ex gratitudine? 3. quinam tandem modus promittendi & ostendendi gratitudinem suam in hac materia sit licitus, & qui illicitus.

42. Conclusio 1. quicunque quomodo cunque paciscitur, vel promittit dare aliquid temporale pro spirituali, aut econtra, ex titulo gratitudinis, vel ex gratuita compensatione Simoniacus est. Hæc conclusio post decretum Innocentij

centij XI. certa est, eāmque jam ante illud com-
muniis DD, docebat, & adeò tenebat, ut aliquī
eorum, inter quos est Suarez T. I. de Reli. lib. 4.
de Simonia. T. 5. n. 11. contrariam opinionem
omnino improbabilem, & miras rerum omnium
confusiones inducentem reputārint. Prabatur.
ergo 1. ex decreto Innocentij XI. citato q. præced.
n. 28. in quo inter alias etiam hæc propositio
ordine 45. supra jam allegata damnatur: dare
temporale pro spirituali non est Simonia, &c. quan-
do temporale sit solum gratuita compensatio pro
spirituali, aut econtra. Ex quo sic argumentor:
juxta decretum Pontificis dare tempore pro
spirituali, aut econtra, ex gratuita compensatio-
ne Simonia est, ergo pacisci vel promittere tem-
porale pro spirituali, aut econtra, Simonia est,
siquidem juxta communem omnium arg. c. cùm
effent. 12. de Simonia, universaliter loquendo
æquè Simonia est promittere sive de dando
pacisci, ac dare actu tempore pro spirituali,
hoc solo discrimine, quod si res temporalis tan-
tum promittatur pro spirituali, aut econtra,
Simonia realis pñas juris inducens non sit, do-
nec etiam res promissa tradatur: Interea tamen
coram Deo perfectum jam & confirmatum pec-
catum, & execrabile flagitium est. Et licet aliam
præter allegatam ex Pontificis oraculo desum-
ptam probationem conclusio non requirat: ta-
men pro veritate illius magis aperienda, fraudé-
que

que diu latente clariūs detegenda ulteriūs.

43. Probatur secundo juxta c. et si quæstiones 18. & c. tua nos. 34. de Simonia, &c alia funda-
menta in priori quæstione posita , dare aliquid
temporale etiam absque pacto expresso ex solo
motivo acquirendi inde aliquid spirituale aut e-
contra, Simonia est, sed qui paciscitur aut promit-
tit ex titulo gratitudinis dare temporale pro spi-
rituali, præcipuum imò solum habet motivum, ut
inde aquirat spirituale, beneficium aliquod v. g.
(prout cujusvis ex gratitudine ita promittentis
conscientia testabitur) ergo Simoniam committit.

44. Probatur tertio juxta communem om-
nium in definitione Simoniae per verba illa est
studiosæ voluntas emendi vel vendendi spirituale,
pro temporali, intelligitur omnis qualiscunque
contractus onerosus, sed qui paciscitur vel pro-
mittit etiam ex sola gratitudine dare temporale
pro spirituali, haud dubiè facit contractum one-
rosum , cùm æquè contractus ex gratitudine ac
alius obligationis onus inducat; ergo Simoniam
committit , qui paciscitur vel promittit etiam ex
sola gratitudine dare temporale pro spirituali.
Et hoc præsertim procedit in beneficijs , ubi om-
nis pactio prohibita est specialiter c. constitutus
4. de transactionibus.

45. Probatur quarto ex sequela absurdā n.
40, jam insinuata ; quia per doctrinam contra-
riam omnis eludetur Simonia solo in contra-
ctibus

ctibus adhibito titulo vel termino gratitudinis, quæ cùm sit fraus, quæ nulli patrocinari debet, meritò ab Innocentio damnata, & à nullo practicanda est.

46. Conclusio 2. dare aliquid temporale pro spirituali jam accepto ex gratuita compensatione est Simonia. Hæc quoque conclusio moderno tempore est certa, quia doctrina contradictoria est damnata, falsaque & scandalosa declarata, quæ sic sonat: *dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut econtra.* Verum ut conclusio & sensus propositionis damnata benè intelligatur. Notandum aliud esse dare vel donare aliquid gratis vel gratuitò, aliud dare aliquid ex gratuita compensatione: priùs enim nullam supponit obligationem, ex qua procederet, sed prorsus liberè ac gratis fit: posterius vero nempè gratuita compensatio supponit aliquam obligationem saltem ex gratitudine procedentem: omnis enim compensatio prout observat Cardenas cit. c. 3. A. 1. vel est ex justitia vel ex gratitudine; atqui gratuita compensatio non est ex justitia, alias enim hoc ipso non esset gratuita, consequenter ex gratitudine: damnat ergo Papa doctrinam dicentem, non est Simonia dare temporale pro spirituali, si temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut econtra, id est si tale temporale detur ex obligatione gratitudinis,

47. Probatur secundo ratione ex natura compensationis desumpta: compensatio rei spiritualis per temporale, intrinsecam necessariò & inseparabiliter connexam secum habet pravitatem Simoniacam, ergo nunquam fieri potest sine Simonia. Ant. Prabatur. Q. icunque vult, & intendit compensare unum per aliud, haud dubiè supponit & credit, quod possit compensari, qui supponit & credit posse compensari rem spiritualem per aliquid temporale, æstimat rem spiritualem per aliquid temporale, æstimat rem spiritualem pretio temporali, eique æquiparat, ac coæquat, eo ipso quod judicet & æstimet, eo posse rem spiritualem compensari; qui rem spiritualem pretio temporali æstimat & æquiparat, Simoniam committit, utpote cuius essentialis pravitas in hoc consistit, quod res spirituæ, quæ sine comparatione omnes mundi thesauros excedit, vili pretio temporali æstimetur, eique comparetur, eo que compensari aut acquiri posse judicetur, juxta dicta. Q. i. n. 4. & 6. ergo à primo ad ultimum, qui dat, vel dare vult temporale pro spirituali ex compensatione quacunque etiam gratuita, Simoniam committit.

48. Probatur 3. omnis compensatio præsupponit aliquam obligationem vel ex justitia, vel gratitudine procedentem, si enim ex nulla obligatione procedat, jam non compensatio, sed liberalis donatio vocanda est; atqui omnis obligatio

gatio dandi temporale pro spirituali Simoniam involvit, ergo omnis compensatio rei spiritualis per temporale Simoniam involvit. Major videtur certa, min. probatur, si posset dari obligatio dandi temporale pro spirituali absque Simonia, vel esset ex contractu prævio, vel ex titulo gratitudinis absque contractu, atqui neutra horum esse potest sine Simonia, ergo, maj. iterum est certa. m. probatur: non obligatio ex prævio contractu, uti omnes concedunt: nec ex titulo gratitudinis; quia licet hæc pariat aliquam obligationem antidoralem, hæc tamen neutquam determinatur ad aliquid temporale, sed potest aliundè precibus v.g. pro benefactore fusis suppleri, consequenter si obligatio ad temporale determinatur, obligationem antidoralem exceedit, & novam constituit, quæ sine Simonia esse nequit. Ut probationis hujus efficacia magis penetretur.

49. Notandum, ex quovis dono, aut beneficio, sive temporali, sive spirituali, alicui collato, exurgere quidem de jure & æquitate naturali aliquam gratitudinis obligationem antidoralem communiter dictam, vi hujus tamen, ut solidè observat Cardenas cit. c. 3. A. 2. Layman, & DD. communiter, accipiens neutquam obligatur ad aliquid certum & determinatum dandum vel retribuendum benefactori, sed solùm ad gratificandum & beneficiendum ei modo, quem ipse postea

postea elegerit, adeò, ut etiam solis precibus ad Deum pro benefactore fusis huic obligationi naturali satisfacere, eámque delere valeat: hinc quoties beneficium accipiens cōligatur ad aliquid determinatum dandum, vel retribuendum benefactori, toties antidoralis obligatio gratitudinis exceditur, nováque novum onus habens imponitur, non ex sola gratitudine, sed ex alio titulo profecta.

50. Ex quo manifestè confirmatur nostræ conclusionis secunda probatio, ipsaq; veritas cōclusionis, & justitia damnantis doctrinā contrariā apparet: quicunque enim dat temporale pro spirituali ex gratuita compensatione, dat ex obligatione, qui dat ex obligatione temporale pro spirituali, non dat ex gratitudinis obligatione antidorali, utpote ad dandum temporale non determinante nec determinatè obligante, sed modum, qui accipienti placuerit, relinquente, qui non dat ex solo gratitudinis titulo, sive obligatione naturali antidorali, dat ex alio obligationis titulo oneroso, qui dat ex alio, qualicunque demum oneroso, dat Simoniacē, consequenter à primo ad ultimum, qui dat temporale pro spirituali vel econtra ex gratuita compensatione, Simoniā committit. Ex quibus facilè solvitur, quod ex Authoribus contratam olim sententiam tenentibus

51. Obijcitur contra utrāque concl. simul:

non potest esse Simoniacum , vel alio quovis modo illicitum , si quis paciscitur vel promittit aliquid facere , aut dare , ad quod alias de jure naturali tenetur , sed quicunque ab alio accipit aliquod beneficium , de jure naturali ex gratitudinis obligatione antidorali tenetur compensare dando vel faciendo aliquid in bonum benefactoris , ergo benefacere volenti promittere quis potest , quod dando vel faciendo velit beneficium acceptum compensare , & dein accepto beneficio pro compensatione & obligatione delenda actualiter dare .

§ 2. R^e. enim. 1. concedendo totum , sed negando suppositum ; quia nulla conclusio dicit , esse Simoniam in communi sine determinatione ad spirituale vel temporale promittere aliquid pro re spirituali dandum vel faciendum ; hoc enim licitum esse patebit ex infrà dicendis ; sed tantum promittere aliquid temporale : sic enim quia promissio est circa aliquid determinatum , temporale nempe , hoc ipso obligatio antidoralis exceditur , & nova cum determinato onere contrahitur , indéque Simonia conventionalis , ac subsecuta dein actuali traditione realis incurritur . R^e. 2. concessa maj. distinquentur min. qui accipit ab alio beneficium , obligatur de jure naturali benefactori ad dandum vel faciendum in bonum ipsius aliquid determinatum , nego , indeterminatum , prout placuerit accipienti , con-

concedo min. distq. pariter consequens : ergo qui promittit indeterminatum aliquid dandum vel faciendum benefactori, non committit Simoniam, transeat, qui determinatum temporale licet in genere promittit, nego conseq.

53. Ob: secundo: potest aliquis accepto beneficio Ecclesiastico dare aliquid temporale ad delendam obligationem antidoralem , si prius aliqua promissio non præcessit , ergo etiam potest promittere , quia quod quis potest licet dare , licet etiam potest promittere; Rz. transmissio antecedente negando consq.; quia qui prius determinate promittit temporale pro spirituali , contrahit novam obligationem præter antidoralem , cum vi hujus ad quid determinatum nec se ipsum obligare,nec ab alio obligari quis possit , ita ut si ad determinatum obligetur, jam obligatio antidoralis amplius non sit.

54. Ob: tertio, qui sine præcedente pacto vel promissione , post acceptum beneficium Ecclesiasticum alicui dat & offert quoddam honorarium temporale , per hoc obligationi gratitudinis antidorali satisfactus, non est Simoniacus; atqui ita dans dat ex gratuita compensatione , ergo dare temporale pro spirituali ex gratuita compensatione Simonia non est.

53. Rz. Transmissa mai, negando min. quia qui dat ex compensatione temporale, dat ex obligatione temporale, obligatio autem determinata

ad temporale non est obligatio antidotalis: cùm
hæc non sit determinata, sed indifferens & inde-
terminata.

55. Dixi in responione ad secundam & ter-
tiam objectionem, *transmissio antecedenti, trans-
missa mai*: nam utrum sine ullo præcedente pacto
aut promissione, post acceptum beneficium re-
verè liceat absque Simonia liberè & gratuitò col-
latori aut præsentatori aliquid temporale pro de-
lenda obligatione antidotali ob collatum benefi-
cium dare, & an non & ista oblatio vocari possit
compensatio gratuita sub damnatione compre-
hensa, Doctiorum iudicio relinquitur.

56. Certe Petrus *Marchantius Tom. 3. træb.
10. tit. 6. q. q. n. concl. 1.* absolutè affirmat, etiam
talem temporalium donationem quantumvis
gratuitam accepto jam beneficio factam, si est re-
lativa, seu reciproca, id est, uti ipse explicat, si
ideo præcisè ac principaliter fit, quia quis benefi-
cium Ecclesiasticum ab alio accepit, ita ut verifi-
cetur, *do quia dedisti*; Simoniam esse, legatur,
quia lectione digna habet. Ego doctrinam con-
trariam Simoniacam vocare non audeo, quia
etiamnum à viris doctis docetur, & à timentibus
Deum practicatur, nec apertè damnata dignosci-
tur: Cùm Papa propositionem de dando tem-
porali pro spirituali ex gratuita compensatione
damnans, de sola datione ex gratuita compen-
satione vi præcedentis pacti vel promissionis
facta

facta loqui non immerito dici possit. Verum ut dixi, rem indecisam relinquo, praesertim cum de mente Pontificis non certò constet. Cæterum ex dictis pro praxi deduco sequentia certa & indubitate corollaria.

57. Corollarium primum: ante acceptum, beneficium certò & indubitate Simonia committitur tories, quoties pro acquirendo beneficio Ecclesiastico expressè vel implicitè offertur, vel promittitur etiam ex sola gratitudine aliquid temporale determinatum vel indeterminatum, dicendo v. g. ad collatorem, *si mihi confers*, vel ad presentatorem, *si me presentas*, vel ad quemcunque alium, *si mihi procuras*, *vel impetras hoc vel illud beneficium Ecclesiasticum*, *banc Parochiam &c.* promitto ex gratitudine tot vel tot pecunias, vel volo dare hoc vel illud honorarium, in specie: vel si offerendo aut promittendo quid indeterminatū quis dicat: *volo esse gratū, promitto me fore gratū, gratum me exhibeo*, vel ut materna lingua modos solitos afferam. Ich will mich dankbarlich einstellen / ich will oder versprich dankbar zuseyn / ich will mich gewislich erkantlich erweisen/ich will mich also einstellen/dass es den Herrn nit gereuen solt / ich will meine Schuldigkeit in obacht nemmen / ich will es auf eine andere Weis verschulden/ ic. wann mir der Herr zu dieser Pfarr / oder Beneficium, Cononicat, hilfft / promoviret/recommendiret/gibt/oder presentiret/ic.

quoties, inquam, quis similibus modis oblatio-
nis, & promissionis utitur, illisque revera inten-
dit aliquid temporale dare vel exhibere pro ac-
cepto beneficio, toties Simoniam committit ob-
fundamenta n. 42. & seqq. allegata, quibus additur
hoc: quia omnes isti modi contractum & Pactum
onerosum expressum vel saltem tacitum conti-
nent quod juxta communem & certam sine Si-
monia nunquam fieri potest; Universaliter e-
nim pactum verum onerosum est, si dicitur *volo*
facere vel dare hoc, si tu facis vel das illud, nec
juvat, si addas *volo facere ex gratitudine hoc*, si
mihi confers illud, quia inde contractus onero-
sus non evaditur, & si evaderetur, nihilominus
ad contractum Simoniacum reduceretur per de-
crenum Innocentij XI. damnantis proposicio-
nem n. 42. citatam, videatur Cardenas cit. c. 3.
A. 4.

¶ S. Dixi, si revera ijs modis quid temporale
dare, vel exhibere quis intendat, prout ordinariè
taliter promittentes intendere, & audientes ita
accipere & intelligere solent; parum enim ali-
qui moverentur, nec beneficium darent, aut pro-
curarent, nisi revera judicarent, promittentem
similibus modis temporalia offerre; si tamen,
revera promittens non quid temporale, sed spi-
rituale, preces v. g. pro benefactore fundendas
intelligeret, vel in genere ac indeterminatè so-
lùm gratum animum promitteret, res aliter se-
haberet, nam ponitur

59. Corollarium secundum ; si quis utitur modis n. 57. positis, ijs præsertim , qui sunt indifferentes, & indeterminatæ ad significandum spirituale vel temporale v. g. *promitto me fore gratum, volo esse gratus, quoad vixero gratus ero, nunquam obliviscar &c.* & per hæc gratitudinem suam non per temporalia sed per spiritualia v. g. fundendo preces pro benefactore exhibere , vel simpliciter , ac indeterminate animi gratitudinem ostendere intendat , neutiquam Simoniacus est : Cardenas cit. & ratio est; quia in his nec datur, nec promittitur temporale pro spirituali, nec ullatenus prohibitum, sed concessum est de eo pacisci, quod de jure inest.

60. Ex quibus quibus, qui in obtinendo beneficio modos similes adhibuit , faciliter cognoscet , reūsne Simoniaz sit , an ab ea immunis ? prius inferet , si per dictos modos determinatè temporale etiam in genere tantum promisit , vel si modi erant indifferentes per illos temporale promittere intendebat : posterius erit , si non ad temporale sed spirituale rependum , sive in genere gratum exhibendi animum intentionem direxerit . Timeo autem non paucos fore , quibus murmur conscientiæ deterius obijciat , nisi ignorantia invincibilis , vel alia causa justa , de quibus infrà , & à culpa & à pænis Simoniaz excuseret .

61. Corollarium tertium : quicunque post

acceptum beneficium dat vel præstat aliquid temporale vi præcedentis pacti aut promissionis etiam sub sola gratitudine factæ, inevitabiliter Simoniam committit, ob fundamenta superiùs jam dicta: utrùm autem Simoniacus sit, qui post acceptum beneficium absque ulla promissione vel pacto præcedente, obligationi gratitudinis ob acceptum beneficium satisfacturus, liberaliter & gratis quid temporale dat, idem reperio, quod suprà n. 56. dixi.

62. Quæres an Simoniam mentalem vel conventionalem committat is, qui promittit, se fore gratum, gratitudinem suam per tempora-
le exhibere intendens.

R. Taliter promittentem, si alter advertat, & ita accipiat, fore Simoniacum conventionalem, ratio est, quia jam adest aliquis inter par-
tes contractus dandi temporale pro spirituali, in quo Simonia conventionalis consistit; ex qua dein fit realis, quando contractus actuali
traditione ex utrâque parte facta adim-
pletur, ut magis dicetur q. seq.

DS [F] SC

QUÆ.

QUÆSTIO V.

Quotuplex sit Simonia.

Cognitâ Simoniæ naturâ ejusdem divisionem magis genericam in hac disp. adhuc discutiamus de specialibus aliquibus Simonij in disp. sequenti acturi.

63. *Q*uamvis circa Simoniæ divisionem singularis difficultates & controversiæ apud DD. non inveniantur, placuit nihilominus eam per integrum quæstionem examinare; quia valde multum interest, bene scire Simoniæ membra & fundamentaliter intelligere, quænam realis, mentalis, vel conventionalis sit, eo quod, licet quævis sit peccatum coram Deo gravissimum, una tamen, non item altera gravissimas ab Ecclesia constitutas pœnas incurrat. Ponitur ergo

64. Conclusio 1. Simonia primâ sui divisione dividitur in mentalem, conventionalem, & realem. Ita Reginaldus lib. 23. q. 4. n. 153. Bonacina, Layman, Lessius Herin. &c. cum communem Canonistarum quam TT. non indiger conclusio probatione, sed declaratione tantum, quam subjungo.

65. Simonia mentalis illa, de qua jura & DD. communiter loquuntur, est, quando quis dat

tem-

temporale sine ullo quidem pacto expresso vel tacito externè manifestato, hac tamen interna intentione & proposito, ut alterum obliget, moveat, aut alliciat ad dandum spirituale, beneficium v. g. Ecclesiasticum. Hujusmodi Simoniam committunt omnes illi, qui cuidam beneficio, Canonicatui, Parochiæ, &c. inhiantes munera offerunt collatoribus, præsentatoribus, vel commendatoribus, id est illis, quos sciunt gratiâ pollere apud collatores, aut præsentatores, externè simulando, quasi omnino gratis, aut alio, nescio quo licito titulo offerrent, habentes interim in corde hanc solam intentionem ac propositū, ut accipientem obligent aut moveant ad conferendū aut procurandū sibi beneficium. Certè si non semper, saltem non raro intentio dicta, consequenter & Simonia in mente hujusmodi dantum est, quam intentionem si accipiens advertit, uti non infrequeiter fit, & sub eodem datum aut oblatum accipit, illico ex Simonia mentali conventionalis, factaque reciproca traditione rei spiritualis, omnino realis pœnas juris inducens efficitur. Pariter discurrendum de illis, qui beneficium conferunt, aut ad aliud præsentant hac principali intentione & animo, ut accipiens, vel intuitu accipientis alij obligentur, aut moveantur ad conferendum sibi, vel suis consanguineis quædam munera temporalia, hoc vel illud præstetur obsequium, conferatur suo tempore

pore officium, vel fiant intercessiones aut recommendationes, &c.

66. Dixi, Simonia mentalis, de qua communiter loquuntur jura & DD. quia præter illam etiam alia Simonia mentalis coram Deo datur, & est omne internum nudum propositum, quo quis proponit, ac intendit dare aut promittere aliquid temporale pro spirituali, aut econtra; et si nulla externa oblatio aut datio actualis fiat. Ut benè observat cum alijs Bonacina de Simonia *Di p. 1. q. 2. n. 2.* Hac Simonia non raro inficiuntur, qui in antecessum cogitant, & proponunt, quomodo & qualiter oblatione, aut promissione temporalium hunc vel illum obligare, aut movere velint pro acquirendo spirituali, vel econtra, quæ Simonia haud dubiè frequentior est quam aliae; ab hac enim illæ supponuntur, nec sine ista, illæ fiunt, benè tamen sæpè illa sine istis.

67. Simonia conventionalis est, quando fit actualis contractus, seu pactum tacitum vel expressum, sive conventio externis signis manifestata dandi spirituale pro temporali, aut econtra. Differt à mentali per actualem conventionem tacitam vel expressam externè manifestatam, quam semper adjunctam habet, & à qua conventionalis dicta est.

68. Notandum tamen specialiter cum *Lef-
sio lib. 2. c. 35. dub. 6. n. 36.* quem sequitur *Lay-
man*

man de Simonia n. 67. ad Simoniam conventio-
nalem neutquam requiri, quod conventio fiat
verbis expressis & directis, sed fieri etiam possit
verbis obliquis & obscuris, vel nutibus, aut
etiam sola oblatione pretij sub specie donationis
facta; dummodo alter advertat, quod ita dans
aut offerens aliud principaliter non intendat,
quam obligare, aut allicere & movere ad reci-
procè dandum spirituale, aut econtra, & hac in-
tentione accipiat; tunc enim jam adest contra-
dictus tacitus saltem, & implicitus, qui ad Simoni-
am conventionalem sufficit; quod si tamen al-
ter non advertat, vel advertens contradicat, &
protestetur, Simonia mentalis manebit, juxta-
dicenda n. 70.

69. Simonia conventionalis est duplex, una
vocatur purè conventionalis, quando nempè sit
sola conventio, vel promissio dandi temporale
pro spirituali, nulla adhuc ab aliqua partium
contrahentium secuta traditione. Altera dici-
tur mixta & sit, quando ab uno contrahentium
contractus impletur tradendo rem temporalem,
nondum accepta spirituali, vel vice versa traden-
do rem spiritualem nondum habita re promissa
temporali. Unde quamdiu traditio ex utrāque
parte non impletur, tam diu Simonia præceden-
te contractu commissa manet conventionalis, pura
quidem, si ex nulla parte, mixta vero, si ab una
tantum facta est traditio rei temporalis vel spiri-
tualis

tualis promissa. Vocatur autem hæc ultima Simonia conventionalis mixta; quia de utraque, conventionali nempe & reali quid participat, ab illa quidem conventionem externam, ab hac verò traditionem actualē saltem ex una parte impletam.

70. Advertit hic Suarez l. 4. de Simonia c. 41. n. 4. Pirh. de Simonia. scđt. 1. §. 2. n. 8. non esse Simoniam conventionalem, si promissio etiam externa dandi vel præstandi quid tempore pro spirituali, aut econtra alteri est facta, ab hoc tamen non acceptata, quod fieri non raro solet, dum unus pro impetrando beneficio quodam Ecclesiastico, nescio quæ temporalia munera, & obsequia ostert & promittit, quam tamen promissionem alterum magis intelligens, simili- que timens Deum, vel protestando recusat, vel alias contradicendo non acceperat. In quo casu licet promittens execrabilis pravitatis Simonia- ca coram Deo reus sit; ea tamen verè conven- tionalis non est, sed mentalis manet, quia con- ventio & contractus sine mutuo duorum con- sensu esse non potest, consequenter nec pánis, quas juxta quorundam opinionem Simonia- conventionalis habet, ullatenus subjacet.

71. Ulterius advertendum cum Layman l. 4. Tract. 10. v. ult. n. 67. in fine. Tanner. Cajet. Soto, Valent. & communiori aliorum, per se non esse Simoniam conventionalem, si unus contrahen- tiūm

tiū tantūm fictē promittit rem temporalem pro spirituali , sine animo se obligandi seu tradendi , sed tantūm fraudulentia & ficta hac sua promissione spirituale consequendi : ratio est , quia ubi non est consensus in obligationem , ibi non est vera conventio. Hinc sola Simonia mentalis ex parte decepti directe committitur , quamvis in foro Ecclesiæ , quæ judicat secundum externa , ambo puniri possint , ac soleant. Ne autem per hoc præbeatur occasio similiū fraudum.

72. Insuper notandum , hujusmodi fictē promittentes nihilominus gravissimè peccare peccato scandali , eo quod hujusmodi ficta promissione alium ad Simoniam committendam inducant ; cūmque scandalum speciem illius peccati contrahat , cuius est causa , talis indirecte saltem Simoniae pravitate se contaminat , *Bona-
eina de Simonia q. 2. n. 8.*

73. Simonia realis est , quando pactio , conventio , vel contractus , sive sit tacitus , implicatus , & obscurus , sive expressus & manifestus , ex utrāque parte actualiter adimpleatur , id est , quando unus rem spiritualem beneficium v. g. alter rem promissam temporalem ex parte saltem actualiter jam tradidit . *Lessius lib. 2. c. 35. dubit. 6. n. 36. Pirb. cit. n. 9. Herin. &c. de Simonia q. 1. n. 9. ad finem. Marchant. cit. q. 2. concl. 1. cum communiori aliorum : licet non desint , qui dicunt,*

dicunt, Simoniam realem esse, dampmodo promissio ex una parte, præsertim vero traditione rei spirituatis sit adimpta. *Sotus Caietanus cum alijs à Fillincio citatis Tr. 45. c. 10. n. 5.* priorem Authorum sententia communior est, & veterior: vi cuius proin Simonia, quocumque tandem contractu firmissimo commissa, tamdiu manet solummodo Conventionalis, & à pennis Canonicis immunis, (juxta dicenda infra) donec res utrinque tradatur. Hinc, si quis etiam serio promittens temporale pro spirituali, vel contra, & postea beneficio jam accepto penitentiā ductus, promissionem ex parte sua, rem temporalem negando, non servet, Simoniacus realis non erit, nec pennis juris subjacebit. Neque habet, quod sibi de injustitia timeat, dum ex parte sua promissionem non servat; quia contractus de illicitis non obligat. Interea tamen ob contractum prævium coram Deo Simoniæ reus est.

74. Dixi. n. præced. saltem *ex parte*: quia ut bene observat Lessius cum alijs præcitatibus ad Simoniam realem non requiritur, ut totum, quod promisit, quis tradat, sed sufficit, si inchoatè sive *ex parte* det. Ex quo sequitur, quod, si quis aliqui promittat trecentos florenos v. g. & accepto beneficio interea det centum, vel quinquaginta, vel etiam minus, Simonia realis, penas juris inducens, jam sit completa, sive dein reliqua adhuc det sive non: Idem est; si quis plura promisit.

D obse-

obsequia temporalia, & accepto beneficio unum solum exiguum præstet: pariter econtra, qui pro pretio aut munere temporali pinque beneficium procurare, conferre, aut ad illud promovere promittit, & accepto dein pretio temporali solum tenuerat, vel ad illud præsentat, aut recomendet, Simoniam realem committit.

75. Conclusio 2. Simonia rursus dividitur in eam, quæ est juris divini, & in eam, quæ est juris humani. *Castro Palao, de Simonia punct. 2. Lessius cit. dub. 2. Pirhing de Simonia sect. 1. §. 2. cum communi aliorum, & Glossa in c. ex parte. 12. ¶. Dismittere de officio deleg.* Simonia juris divini est, quando per quemcunque contractum, tacitum vel expressum, datur vel promittitur, aut dari proponitur res spiritualis pro temporali: prout in re explicant DD. Et hæc est propriè dicta Simonia, n. 2. definita, de qua intelligenda est Glossa citata dicens: *sunt quædam prohibita, quia Simoniacæ.* Simonia juris humani est, quæ ortum habet à sola lege Ecclesiastica: hæc committitur, quando non datur temporale pro spirituali, sed vel spirituale pro spirituali, vel temporale pro temporali, contra legem Ecclesiasticam ex motivo Religionis sub pænis Simoniacæ ob speciem & periculum Simoniacæ juris divini positam: talis est omnis permutatio beneficiorum sine superioris autoritate facta c. quæsum. 5, & c. cum olim. 7, de rerum permutatione. Permutatio enim, bene-

beneficiorum cùm sit rei spiritualis, pro spirituali de jure divino haudquam, sed de jure humano duntaxat illicita & Simoniaca est: talis etiam est venditio quorundam officiorum, ut Syndici, Sacristæ &c. quæ officia, utpote in se temporalia ex natura sua omnino vendi possent, nisi corum venditio à jure Ecclesiastico tanquam Simoniaca prohibita esset. *c. Salvator. 8. caus. 1. q. 3.*

76. Verùm notandum cum DD. ut Laym. de *Simonia n. 62. Tannero Tom. 3. disp. 5. de Relig. q. 8. dub. 2. n. 30. Pirhing de Simonia scđt. I. §. 2. n. 6.* Simoniam juris Ecclesiastici non esse propriè & strictè dictam Simoniam, eò quòd propria ratione & essentiali pravitate Simoniaca careat, nec eidem Simoniæ definitio n. 2. posita & à DD. communiter tradi solita conveniat, quo non obstante.

77. Ulterius notandum, quòd licet Simoniæ juris humani propriè Simonia non sit, nihilominus grave peccatum Sacrilegij sit, iisdemque censuris & pénis à SS. Canonibus statutis subjaceat, quibus subjecet Simonia juris divini. *Layman. cit. n. 66. Pirhing cit. cum communiori aliorum.* Hinc non multùm indagandum judico, an hæc vel illa Simonia in specie sit juris divini, vel Ecclesiastici.

78. Præter dicta Simoniæ membra adhuc aliud est, nempe Simonia confidentialis (quamvis à multis ad Simoniam conventionalem re-

ducatur) quæ tunc fit, quando quis eligendo, præsentando, aut alio quovis modo cuipiam beneficium procurat hac intentione, & certa confidentia, vel etiam pacto, ut recipiens beneficium suo tempore iterum prius procuranti, aut ejusdem consanguineo &c. totaliter vel saltem secundum aliquam portionem fructuum cedat, aut resignet. Ita desumitur ex Bulla Pij IV. Romanum Pontificem, edita 1564. estque in Bullario Rom. 85. item ex Bulla Pij V. intolerabilis mulorum. edita 1569. in Bull. ordine 85. ubi etiam gravissimæ statuuntur pænæ hujus Simoniae, de quibus infra,

* † *





DISPUTATIO II.

*De quibusdam Simonis in specie, ijs
præcipue, quæ in beneficijs Ecclesiasticis
& Religionis ingressu commit-
tuntur,*

Visis ijs, quæ de Simonia ut sic scitu utilia magis videbantur ac necessaria, ad Simonias in specie, non quidem omnes, sed aliquas solummodo laborem dirigimus, illas præsertim, quæ in conferendis vel impetrandis beneficijs Ecclesiasticis & religionis ingressu contingere possunt: tum quia hæ præ cæteris, magis pernicioſæ dignoscuntur, prout ex parte jam supra notavimus, & cuivis consideranti patet.

Q U Ä S T I O I.

*Quibus modis Simonia committi possit
in Electione & Postulatione.*

I. *Q*uid sit postulatio & electio supponitur ex jure; non enim ad propositum est, De ha-
D ; rum

rum natura agere : ad intentum præsens cuivis etiam non Canonistæ sufficiet scire, per electionem & postulationem acquiri beneficium vel dignitates Ecclesiasticas, si quis per aliorum suffragia seu vota beneficium vel dignitatem Ecclesiasticam legitimo juris ordine adipiscitur. In hujusmodi electione vel postulatione ad beneficia varijs modis Simonia committi potest tam antea quam postea, uti videbimus ex sequentibus.

2. Concl. 1. quicunque etiam cæteróquin dignissimus per se ; vel per alium dando vel promittendo quid temporale , sive sit munus à manu, sive lingua, sive obsequio , procurat sibi votum, aut suffragium, etiam unicum, Simoniam committit. *Lessins lib. 2. c. 35. dubit. 19. Azorius parte. 3. lib. 12. c. 7. & communis aliorum. Arg. c. Mathæus. 23. de Simonia* : Ratio est evidens; quia talis revera per aliquem contractum dat temporale pro Spirituali, quod semper Simoniacum est, ut fatentur omnes. Verificatur conclusio non tantum , quando temporale promittitur , vel datur expresso pacto, sed etiam, si absque hoc sub specie gratuitæ oblationis, hac intentione datur, vel promittitur quid temporale, ut alter moveatur & incitetur, ad dandum votum. Patet ex dictis *disp. præced. q. 3.* Ex qua conclusione pro praxi

3. Colligitur, procul dubio Simoniam esse, si quis ante electionem aut postulationem , ne ipsem et Simo-

Simoniacus videatur, per alios publicè vel occul-
tè convenit eligentes, eisque dat, promittit, vel
proponit varia temporalia, puta pretiosa mune-
ra, officia & gradus, recommendationes, & fa-
vores, exaltationes, vel promotiones familiarum
sive consanguineorum, ut inde eligentes obli-
gentur, vel saltem moveantur ad dandum sibi
votum.

4. Conclusio 2. et si electio vel vota medi-
ante temporali procurentur ab aliquo tertio pro
Titio v. g. hujusmodi malam procurationem
penitus ignorante consequenter eidem nullate-
nus consentiente, electio nihilominus Simoni-
aca est. Ita *Azorius loco cit. cum communi alio-*
rūm: & habetur clarè statutum c. nobis. 27. de
Simonia. Hinc licet in tali casu solummodo
procurantes, & eligentes, non autem electus Si-
moniam committant, electio nihilominus Simo-
niaca, & ipso jure irrita est, ut magis dicetur in-
fra. *Disp. seq. q.* Ceterum ex hac conclusione
pro praxi

5. Colligitur, quād imprudenter agant
consanguinei, vel alij affectantes alicujus certi
electionem, simūlque timentes, ne alias præfera-
tur, dum dando vel promittendo temporalia,
electionem & vota pro tali, licet cæteroquin di-
gnissimo & hujus procurationis penitus inscio,
procurant; hi enim unà cum eligentibus ex
una parte Simonia se contaminando sibi nocent.

& electo consanguineo vel amico nihil pror-
funt, eò quòd de jure talis electio sit nulla.

6. Conclusio 3. Simonia committitur, si e-
ligentes pro votis aut suffragijs sibi invicem
promittunt beneficia, vel officia spiritualia, v.g.
si quis dicat si dederis mihi votum, conferam tibi
hoc, vel illud beneficium, vel dabo tibi hoc offi-
cium. Ita Azorius p. 3. lib. 12. c. 4. Pirh. de Simo-
nia sect. 4. §. 2. n. 87. probatio desumitur ex jure
e. de hoc 11. de Simonia, ubi Episcopus Oxonien-
sis promittendo uni beneficia, alteri Prioratum,
ut in electionem consentirent, Simoniacus re-
putatur. Hinc quia ius est clarum, ulteriori
probatione opus non est. Et licet Simonia hu-
iusmodi non sit juris divini, sed Ecclesiastici
duntaxat, grave nihilominus peccatum, ijsdém-
que pænis subjecta est, quibus Simonia juris di-
vini juxta dicta disp. præc. n. 75.

7. Conc. 4. non est Simonia dare aut pro-
mittere quid temporale, ne eligatur indignus
vel minus dignus. Lessius lib. 2. c. 35. dubit. 19.
Azorius p. 3. lib. 12. c. 7. quæs. 3. Pirh. Sotus cum
alijs: ratio est; quia in tali casu non datur tempo-
rale pro spirituali, sed ne spirituale indignè &
male conferatur, & ne Ecclesiæ injuria sive injusta
læsio inferatur. Accedit, quòd juxta dicenda,
infra liceat redimere pecuniâ aut alia re tempo-
rali injustam vexationem Ecclesiæ, atqui in casu
posito redimeretur injusta Ecclesiæ vexatio, cùm

ex indignorum electione Ecclesiae plerumque vexationem satis gravem, magnumque detrimentum & præjudicium pati debeant, quod propter oblationem, aut promissionem temporarium avertere & impedire malum non erit. Verum ne conclusio sinistre intelligatur

8. Notandum cum Azorio, Lessio cit. & alijs, quod quamvis à Simonia alienum sit, absolutè & simpliciter dare, aut promittere temporalia, ne indignus, aut minus dignus eligatur; Simonia tamen committatur; si per hoc intenditur, & queritur, ut certus aliquis in particulari ceteroquin dignus, immò dignissimus eligatur; sic enim jam datur tempore pro spirituali electione nempè certæ personæ. Ex quo pro praxi sequens ponitur, & solvitur casus.

9. Tempore vacantis alicujus Ecclesiae Cathedralis, Collegiatæ, sive cujusdam Monasterij rationabiliter advertitur, majorē partem eligen-
tium (ponamus esse viginti) inclinatam & propensam esse ad certum quendam, Sempronium. v.g. adeò, ut verisimile sit, tales nisi impedia-
tur, eligendum fore. Verum Caius optimè no-
vit, ac indubitate cognoscit, hunc eligendum
esse planè indignum, vel certè adesse alios, ipso
multò digniores. Hinc ex zelo erga Ecclesiam
convenit eligentes, eisque non tantum indigni-
tatem Sempronij demonstrat, sed insuper dat vel
promittit eisdem aliqua temporalia, ne ipsum

eligit. In hoc casu Cajus ab omni labo Simoniacâ totaliter immunis est. Quamprimum verò insuper etiam aliquam certam Personam in particulari (maxime si se ipsum) specificat, dandoque vel promittendo temporalia laborat, ut omisso indigno, hunc à se specificatum eligit, Simoniae illico reus erit. Dixi, si aliquem certum specificat; quia absque Simonia dare aut promittere potest temporalia pro electione personæ dignæ in genere. *Lef. cit. dub. 19. n. 113.*

10. Cœterum in praxi maxima cautela vindetur necessaria, ne ex inordinato affectu, aut passione, quis alium aestimet indignum, qui recte dignus est, aut ne potius ex amore proprio, proprieque interesse, quam zelo justitiae vel Ecclesiæ, alium impedire studeat; dum forsitan imprudenter prævidet, se, suosve, si talis eligetur, aliqualiter vel fore suppressimendos, vel certè non adeo promovendos & honorandos; talis enim ita impediens præter injustitiam etiam Simoniam committeret, siquidem Simoniacum est, non tantum, si datur temporale pro spirituali, voto v. g. aquirendo, sed etiam, si datur, ut omittatur, vel ne detur spirituale, votum v. g. digno, ut *ex Glossa in c. nemo. 14. v. celest. Et Abate de Simonia, bene notat Pirb. b. t. sect. 4. n. 87.*

11. Concl. 5. post electionem, Simonia dupliciter potissimum committitur, 1. Si datur
vel

vel promittitur quid temporale pro impetranda confirmatione. 2. Si datur, vel promittitur temporale, ne contradicatur, aut electio impugnetur ab aliquo, qui justam impugnandi vel contradicendi causam habet. Prima pars conclusionis est certa, eamque tenet *Azorius.* p. 3. l. 12. c. 7. *Pirh. cit.* constat etiam manifestè ex jure, c. sicut ius de Simonia: ubi pro Simonia expressè declaratur, dare pecuniam pro confirmatione; etiamsi ab alijs fiat confirmando ignorante. Ratio est; quia per confirmationem electus plenū jus aquirit in beneficio, consequenter si pro ea quid temporale dat aut promitterit, pro spirituali promittit, indeque Simoniam committit.

12. Secunda pars est communis DD. signanter *castro Palao de Simonia punct.* 20. *Less. cit. dub.* 18. n. 106. & seqq. *Barbosa* p. 3. de off. & potest. *Epi. c. 13. §. 6. Suarez. c. 50. n. 10.* &. 11. cum communi aliorum. Ratio est; quia talis revera indirectè saltem dat temporale pro spirituali, & per temporale sibi parat viam ad spirituale.

Dixi in conclusione, qui justum impugnandi vel contradicendi causam habet; nam utrum, & quando Simoniacum sit, dare vel promittere alicui temporale, ne injustè contradicat, impugnat, aut impediat electionem, dicetur infra.

QUÆSTIO II.

De Simonia, quæ committitur in præsentatione & collatione beneficiorum.

13. **Q**uamvis ex dictis jam sufficienter colligi posset, quomodo & quando Simonia committatur in collatione aut præsentatione beneficiorum; certum enim ac indubitatum est, quod dare vel promittere ex tacito vel expresso pacto, quodcunque tandem temporale pro collatione vel præsentatione, aut econtra Simoniam sit: Item quod Simonia sit promittere, vel dare quid temporale sine pacto quidem expresso, ea tamen intentione ac motivo, ut alter moveatur ad præsentandum vel conferendum beneficium: prout constat ex dictis disp. præced. q. 3. placuit nihilominus specialem desuper quæstionem ponere, ut una aliave controversia, quæ circa Materiam hanc satis frequenter occurrit, magis elucidetur. Videlicet 1. An sit Simonia, conferre alicui beneficium propter consanguinitatem? 2. An Simonicum sit, servire alicui collatori vel præsentatori beneficij hoc pacto, vel motivo, ut suo tempore eidem vacans beneficium conferatur.

14. Concl. 1. non est Simonia propriè dita, conferre alicui beneficium, vel ad idem aliquem præsentare propter consanguinitatem,

sive

sive quia ejus consanguineus, vel affinis est. ita
D. Thomas 2. 2. q. 100. A. 5. ad secundum. Azorius p. 3. lib. 12. c. 2. citans Sotum, Navarr. Convar. contra Glossam in cap. 1. ut Ecclesiastica beneficia pro carnalitatem; Ratio est, quia Simonia strictè dicta non committitur, nisi detur spirituale pro temporali; consequenter cum dantibus beneficium propter consanguinitatem pure intendat consanguinei commodum, ac utilitatem, nihil ab eo accipiens, sperans vel exigens, Simoniam non committit.

15. *Dixi propter consanguinitatem sive quia consanguineus est, quia dare beneficium alicui tertio propter consanguinitatem in hoc sensu, ut dantis consanguinei exinde promoteantur, exaltentur, officia, vel alia commoda spiritualia recipiant, absque dubio Simoniacum est; uti teneant cum D. Thoma l. c. præcitati AA. Ratio est; quia h̄c verè datur spirituale propter temporali, saltem consanguineis præstito vel præstanto; sive enim pro se, sive pro alijs per spiritualia quis procuret temporalia, Simoniacus est: Arg. c. nobis. 27. de Simonia.*

16. *Concl. 2. dare beneficium etiam simplex alicui præcisè propter consanguinitatem, licet non sit Simonia, nihilominus grave peccatum carnale & sæpè etiam injustitiae est; si talis consanguineus est absolutè indignus D. Thomas l. c. cum AA, numero præcedenti citatis, patet que*

que ex c. grave nimis. 29. de præbendis. Ibi: Grave nimis est & absurdum, quod quidam Ecclesiasticorum Prælati, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promovere, assumere non ventur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur: Carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis: unde quanta Ecclesiæ damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. Ratio conclusionis constat ex textu allegato; quia nempe exinde gravia Ecclesiæ damna proveniunt.

Dixi, si consanguineus est, absolutè indignus; Si enim æquè est dignus & idoneus ac alij, non tantum potest, sed & debet cæteris paribus Episcopus vel alius beneficij collator præ alijs consanguineo conferre beneficium; quia juxta ordinem charitatis propinquis subvenire & benefacere magis tenemur quam extraneis. Abbas in c. dilecto. 25. de Simonia, n. 2. Et ex eo Layman. L. 4. Tr. 2. c. 15. n. 8. Pirk. de Præb. & dignit. seit. 4. §. 2. n. 98. Et ob similem rationem vult Abbas in C. ad decorum. 5. n. 4. de instit. ut cæteris paribus beneficia conferantur potius indigenis, quam extraneis; quia illi magis censentur digni, magisque diligere patriam, in qua sunt educati, quam isti, ita quoque Azorius l. c.

17. Concl. 3. Servire seu præstare obsequia temporalia vel carnalia alicui collatori, vel præsentatori beneficij sine stipendio, vel pro stipendo,

dio, improportionato tamen, sub hoc pacto, vel saltē sub hoc principali motivo ac intentione, ut ei suo tempore vacans beneficium conferatur, Simonia est. *Glossa in c. cùm essent de Simonia ¶.* promiserat. *D. Thom. 2. 2. q. 100. A. 5. ad pri-*
mum. Azorius. p. 3. lib. 12. c. 8. litt. B. Ratio est; quia revera datur sive præstatur temporale, munus nempè ab obsequio, pro spirituali, quod ut Simoniacum in jure sæpè declaratur.

18. *Dixi servire vel præstare obsequia tempo-*
ralia; nam ut ex S. Gregorio benè observat D. Thomas: Si aliquis Clericus impendat obse-
quium honestum ad spirituale ordinatum, puta
ad Ecclesiæ utilitatem, ex ipsa devotione obse-
quij redditur dignus Ecclesiastico beneficio, sicut
& propter alia bona: quin immò Marchant. T. 3.
Tra. 10. Tit. 6. q. 11. Universaliter tenet, posse
Episcopum absque labe Simoniæ beneficio ali-
quo Ecclesiastico recognoscere fideliter præstata
obsequia temporalia, dummodo non detur in-
stipendum nullumque pactum vel obligatio in-
tercedat, & alias beneficium accipiens sit di-
gnus.

19. *Dixi sub hoc principali motivo ac inten-*
zione, ut suo tempore beneficium vacans ei confe-
ratur; Nam cuius finis principalis alius est, v.g.
quia habet justum ac honestum salarium, Simo-
nijā non inficitur, licet minus principaliter se-
cundariò etiam intendat acquirere suo servitio
fidi

fidi beneficium : prout ex Cardenas suprajam
notavimus. *Disp. prac. q. 3. n. 38.*

20. Ex eadem ratione à Simonia excusatur,
qui servit Episcopo vel patrono sine , vel pro ex-
iguo salario , hac intentione & sine principali,
ut ejus scientia , dexteritas , & talenta patefiant;
talis enim non præstat obsequium temporale pro
beneficio , sed ut collator vel præsentator co-
gnoscat ejus talenta , quibus cognitis per se di-
gnus est , ut beneficium eidem conferatur. *Leff.*
lib. 2. c. 35. dub. 20. Ex quibus pro praxi

Colligitur, Simoniam committi in sequenti-
bus casibus. 1. si quis patronus , seu præsentator
beneficij conveniat cum aliquo Clerico , & hic
cum illo v. g. *Si Dominus meam juventutem,*
tanto tempore instruxerit , præsentabo eundem ad
proximè vacans beneficium : vel econtra , si Cle-
ricus dicat , agam pædagogum juventutis Do-
minationis suæ, nec aliquid peto quam victum ,
dummodo mei recordetur tempore vacantis
alicujus beneficij. 2. Si quis habens alias me-
liores conditiones vel servitia , illaque dimit-
tendo , vel non accipiendo , servit alicui colla-
tori , vel præsentatori beneficij pro nullo aut ex-
iguo ac improportionato salario sine pacto qui-
dem , hac tamen principali intentione , & moti-
vo , ut ab eo suo tempore beneficiū acquirere va-
leat ; non enim solummodo qui sub pacto , sed
etiam qui sub motivo principali præstat tempo-
rale

rale animo consequendi spirituale, Simoniam comittit, ut constat ex disp. præc. q. 3. Tertiò. Qui obsequia temporalia quæcunque præstat alicui alteri, qui apud collatorem, vel præsentatorem beneficij potens, vel familiaris est, hoc pacto, aut motivo principali, ut eidem suo tempore beneficium procuret, eundem apud collatorem vel præsentatorem recommendando, vel pro eodem rogando; Ratio est; quia, ut infra dicemus, universaliter loquendo Simonia est, dare vel præstare quid temporale alicui familiari collatoris vel præsentatoris, ut per preces aut recommendationes obsequium accipiens ita servienti beneficium procuret.

QUÆSTIO III.

An, & qualia peccata committantur, si beneficia præsertim curata relictis dignioribus conferuntur minus dignis?

21. **V**T quæstio hæc magis elucidetur, ea, quæ extra controversiam, & apud omnes certa sunt, supponendo præmittemus; ea vero, quæ unum aliumve adhuc contradictem habent, per conclusiones examinabimus. Itaque.

22. Tanquam certum & indubitatum supponitur primò, eos peccare mortaliter (& quidem juxta communem contra fidelitatem ob rationem

tionem ponendam infra Concl. 2.) qui beneficia curata majora relictis dignioribus, conferunt minùs dignis; ita enim clarissimè habetur in Concil. Trid. sess. 24. c. 1. ubi de hujusmodi beneficijs expresse loquens dicit, promoventes ad hæc mortaliter peccare; nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles judicaverint, præfici diligenter curaverint. Accedit præter communem tam TT. quam Canonistarum sententiam etiam decisione rotæ citata à Garzia de beneficijs p. 7. c. 16. n. 2. dicens, doctrinam hanc de omnibus Episcopatibus intelligendam esse. Huc communiter AA. ob idenditatem rationis reducunt Prælaturas & Superioratus, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, ut Generalatus, Abbatias, Præposituras, Decanatus, Provincialatus, Prioratus, Rectoratus, Guardianatus, &c.

23. Suppono tanquam certum secundò, pariter etiam mortaliter peccare eos, qui beneficia curata minora, ut sunt Parochiaz, Vicariæ perpetuæ. &c. relictis dignioribus conferunt minùs dignis, quando conferuntur per concursum. Ita communissima nemine contradicente, eò quod Concil. Trid. sess. 24.c. 18. de concursu loquens Reverendissimo cuivis Episcopo expresse præcipiat, ut præmillo examine cum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit, eiq, & non alteri collatio Ecclesiæ fiat. ubi etiam communiter observant DD. ut Less lib. 2. c. 34. dub. 15. n. 75. Navar-

rus c. 17. n. 74. Castro Palao p. 2. Tr. 13. D. 2.
pun. 4. n. 6. Lugo de Jure & Justitia, Disp. 35.
sect. 6. dicens esse sententiam communem & ve-
rissimam, quod insuper praeter infidelitatem,
peccatum quoque in justitiae committatur, & ob-
ligatio restituendi contrahatur, si in concursu,
omisso digniori, beneficium conferatur minus
digno. His ut certis suppositis.

24. Examinandum adhuc restat. 1. An praefata
beneficia curata minora Parochiæ v. g. etiam
extra concursum sub peccato conferri debeant
digniori? 2. Quid juris in punto questionis
circa beneficia simplicia?

25. Concl. 1. Regulariter loquendo, omnes
ij Ecclesiastici, ad quos spectat collatio, & provi-
sio beneficiorū, peccant mortaliter, qui etiam ex-
tra concursū beneficia curata minora, Parochias
v.g. relictis dignioribus cōferunt dignis. Ita com-
munis immò teste Lugone de Jure & Just. Di p.
25. sect. 2. n. 10. communissima, adeò quidem,
ut pro sola citatione AA. qui hanc sententiam
docent, aliquot folia non sufficerent: Ex qui-
bus pro majori conclusionis probatione extrin-
seca aliquos saltē adduco. Ut D. Thom. 2. 2.
q. 63. A. 2. ad tertium, Garziam p. 7. c. 16. n.
16. Lessium cit. dub. 14. Castro Palao Tr. 13. de
beneficijs Ecclesiasticis. D. 2. pun. 11. Filliucium
in Appendice. Tr. 41. c. 4. n. 177. Layman lib. 4.
Tract. 2. c. 15. Pirh. de prabendis & dignitatibus

sect. 4. §. 2. *Valensem, Azorium, Covarr. Nasvarr. Vasquez, &c.*

26. Probatur 1. ex *Concil. Trid. sess. 24. c. 18* per textum citatum jam. n. 23. quamvis enim ibi Concilium loqui videatur tantum in casu concursus, nihilominus dictum, c. intelligendum esse de collatione Parochiarum etiam extra concursum, manifestè patet ex textu finali citati c. ubi disponit; quod si ob certas rationes praescriptus concursus haberi non posset, cetera tamen in eodem. c. posita servari debeant, inter quæ non minimum est, ac trina vice repetitur, ut Ecclesiæ Parochiali præficiatur is, qui dignior & magis idoneus repertus fuerit.

27. Probatur 2. ex eadem *Trid. sess. 24. c. 1.* per textum citatum supran. 22. Et licet hoc capite Concilium ex instituto tantum loquatur de Cardinalibus & Episcopis, meritò tamen ob idemtatem Rationis etiam ad alia beneficia curata, Parochias v. g. reducitur. Ut bene notat *Lugo cit. & Cardenas.* Immò id ipsum clarè insinuare videtur. c. cit. ipsūmet Concilium ad fidem dicens: *nil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium &c.* Quam ut bonos maxime & idoneos pastores singulis Ecclesiis præficiat: ubi notanda verba singulis Ecclesijs, inter quas haud dubiè etiam veniunt Ecclesiæ Parochiales, utpote quæ titulo Ecclesiæ verè ac propriè gaudent.

28. Probatur 3. Ratione: illi, quibus ex officio

ficio incumbit beneficia alijs conferre , neuti-
quam sunt Domini beneficiorum , nec habent li-
beram cum illis disponendi facultatem , sed sunt
meri *Æconomi*, ut cum aliis benè argumentatur
Less. cit. & tenentur sub peccato gravi , quantum
commodè possunt præcavere grave damnum &
detrimentum ab Ecclesia , cámque magno & ne-
cessario commodo non privare ; sed si Ecclesiis
Parochialibus non præficiunt Pastores digniores
relictis dignis , eas commodo magno & summè
necessario , pro animarum salute maximè expe-
diente privant, indéque grave detrimentum non
præcavent ; ergo mortaliter peccant. Major vi-
detur certa , min. constat ex *Concil. Trid. cit. sess.*
c. i. ubi *nil magis Ecclesiae Dei necessarium judi-*
citat, quām quòd singulæ Ecclesiæ habeant *Pasto-*
res bonos maximè, atque *idoneos*. Et eâdem *sess.*
c. 18. de Parochialibus Ecclesijs ex professo a-
gens , reputat id *maximè expediens animarum*
saluti, ergo. Ex qua Ratione etiam patet, prout
pariter DD. communiter colligunt, quòd obli-
gatio hæc conferendi beneficia curata digniori-
bus, sit de jure naturali : id ipsum etiam insinuat
Trid. cit. c. i. per illa verba, *nil in præsenti tempo-*
rum ratione innovando, quibus supponit obliga-
tionem hanc prius jam & quidem , uti ratio pri-
mùm allata ex ipsomet Concilio probat , de jure
naturali fuisse.

29. Nec dicas , *juxta Concilium Trid. sess. 7.*

c. 3. sufficere, si inferiora beneficia Ecclesiastica præsertim curam animarum habentia Personis dignis & habilibus conferantur, consequenter nullam esse obligationem, ut dignioribus conferantur. R². Enim cum *Lugone cit. n. 19.* ibi Concilium loqui solummodo de requisitis ad validam (ut patet ex ipsomet. c. cit.) non verò ad licitam beneficiorum collationem, de qua primum disponit, vel potius de jure naturæ dispositum jam supponit *Seff. 24. c. 1. & c. 18.*

30. Dixi in Concl. omnes iij Ecclesiastici; quia ab hac obligatione à pluribus DD. excipiuntur Patroni Laici, eò quòd Concilium *seff. 24. c. 18.* dicat, eum debere admitti, qui à Patrono Laico præsentabitur, dummodo sit idoneus. Id ipsum confirmare videtur praxis, vi cuius præsentati à Patronis Laicis tantùm examinantur, an sint digni, non verò an sint digniores. Verùm de Patronis Ecclesiasticis hæc exceptio non procedit benè tamen tenor conclusionis, quia hi juxta Concilium *loc. cit.* omnino tenentur digniorem præsentare.

31. Concl. 2. Præcedens conclusio est adeò vera & certa, ut sententia contraria docens. quòd extra concursum liceat beneficia curata inferiora, Parochias v. g. relictis dignioribus, conferre dignis, defacto tanquam scandalosa & in praxi perniciosa sit damnata, consequenter in praxi non amplius probabilis. Ita Cardenas in propositiones

sitiones damnatas dissert. 28. c. 4. Proba ur conclusio manifeste ex decreto Innocentij supra citato inter alias propositiones etiam hanc damnante: Cum dixit Concil. Trident. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel primo videatur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo propositivo, vel secundò locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus: In qua propositione ad propositum nostrum notanda sunt ultima verba vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus. Ex quibus sic argumentor: sententia quæ docet, vi Concilij Tridentini tantum in concursu sub peccato mortali debere promoveri ad Ecclesias relictis dignis digniores, est damnata, atqui hoc dicit sententia primæ conclusioni contraria, ergo est damnata, consequenter conclusio hæc secunda vera.

32. Dices propositionem damnatam loquuntantum de beneficijs curatis majoribus Episcopatibus, von verò de inferioribus, Parochiis v.g. eo quod Glosset textum ex. c. I. sess. 24. desumptum, ubi Concil. de majoribus, non item inferioribus beneficijs expressè agit.

33. Ix. Negando ant: quod enim dicta pro-

positio non tantum de majoribus. sed & inferiorib[us] beneficiis curatis loquatur, inde aperte patet; quia includit etiam beneficia, quae conseruntur per concursum præscriptum à Trid. quia non sunt majora beneficia, Episcopatus v.g. sed inferiora, Parochiæ nempe.

34. Concl. 3. quamvis multi teneant. ut Castro Palao, p. 2. Tr. 13. D. 2. pun. 11. n. 8. Covarr. Navar. Vasquez. Azorius. & plurimi alij citati à Garzia p. 7. c. 16. n. 2. quod etiam beneficia simplicia & non curata, ut Canoniciatus v.g. Capellaniæ, &c. sub mortali debeant conferri dignioribus; nihilominus sententia valde probabilis est, non esse peccatum mortale beneficia non curata conferre dignis, relictis dignioribus, Less. cit. dub. 14. n. 65. Garzias cit. n. 16. Layman lib. 4. Tr. 2. c. 15. n. 8. Pirk. de Simonia sect. 4. §. 2. n. 96. cum aliis. Fundamentum conclusionis est; quia Ecclesia plerūmque non magnum detrimentum, vel damnum patitur, si prætermisso digniori assumitur ad beneficia non curata dignus: unde nec Concilium Trid. circa beneficia simplicia tam gravem obligationem imponit, sicut circa curata, consequenter cum res sit periculosa valde & conferentibus multum odiosa, hanc obligationem extendere non debemus. Quod si tamen in casu particulari notabile damnum Ecclesiæ emerget, si neglecto digniori conferretur minus digno, idque à conferente

ferente sciretur, haud dubiè etiam sub mortali teneretur conferre simplex beneficium digniori, ob idenditatem rationis, prout etiam fatentur citati pro conclusione AA.

35. Dices c. unic. ut Ecclesiastica beneficia &c. Innocentius III. de beneficio simplici loquens dicit: non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium & beneficium in Personam magis idoneam dispensare. Rz. Pontificem ibi per lymagis idoneam intelligere verè idoneum, & dignum, quia uti ex contextu patet, tunc assumebatur omnino indignus. Dein et si jura aliqua antiqua obligationem gravem conferendi beneficia etiam non curata dignioribus imponerent, ea per consuetudinem contraria censeretur jam abrogata, uti benè advertit Garzas cit.

QUÆSTIO IV.

De Simonia, quæ committitur in resignatione beneficiorum.

36. IN hac resignationis materia quædam apud DD. sunt certa, quædam controversa. Certum est primò, Simoniam & quidem juris Divini committi, si alicui datur, vel promittitur aliquid temporale quodcunque tandem, sive sit munus à manu, sive à lingua, sive ab obsequio, ut in fa-

vorem alterius resignet. Ratio est; quia sic datur temporale pro spirituali, quod tanquam Simoniacum saepius jam audivimus.

37. Certum est secundo, Simoniacum esse si tacito, vel expresso pacto exigitur, datur, vel promittitur pro suppellestili plus quam revera à parte rei valet: v. g. Parochus resignare alicui volens, habet vaccas & equos, aliisque pecora cum suppellestili ad Parochiam necessaria constanti 500. florenis v. g. dicit beneficium consideranti: volo in favorem tui resignare Parochiam, si meam suppellestilem, qua alias indiges, à me emas 800. vel 1000. florenis. Ratio est, quia, cum uti casus dat, supplex tanti non constat, datur residuum temporale pro spirituali, beneficio nempe consequendo, quod procul dubio Simoniacum est.

38. Controversa sunt primò, an & quando Simonia committatur, si sit resignatio in favorem tertij reservata pensione annua? Secundò an Simoniacum sit resignare alicui hac conditione, ut resignarius solvat resignanti expensas, quas in procurando & impetrando beneficio fecit?

39. Concl. i. omnis resignans in favorem tertij, id est non aliter dimissurus beneficium, nisi designato à se conferatur, Simoniam juris humani committit, si non fiat autoritate Pontificis. Ita Castro Palao de Simonia disp. 3, punt. 17. n. 4.

eitans

citans communem. Bonacina de *Simonia* disp. 1. q. 4. §. 14. Engel de *renunt.* n. 8. & communis aliorum. Ratio desumitur ex jure c. quæsumus §. de rerum permutatione, quia omnis pactio circa spiritualia, vel spiritualibus conexa labem semper continet *Simonia.* Præsertim in materia beneficiorum arg. c. *constitutu.* 4. de transactionibus, consequenter, cum in jure communi præter Pontificem dispensare nemo possit, quævis hujusmodi resignatio sine ejus licentia cum pacto & conditione facta, *Simoniaca* est.

40. Concl. 2. Licitum, consequenter à *Simonia* alienum est; si quis Episcopo beneficium purè & absolutè resignans, eidem aliquam personam certam non per modum obligationis, sed recommendationis & humilis supplicationis nominet, rogando, ut beneficium resignatum gratis conferre velit à se recommendato. *Covarr. lib. I.* *Variar. resolu. c. §. n. 5.* *Zæsus tit. de Simonia. n. 71.* sequitur Engel. h. tit. n. 8. Ratio est; quia ex una parte certum est, resignations beneficiorum purè & absolutè in manus Episcopi licet & validè fieri posse. *C. admonet. 4. de renunt.* ex altera verò parte, nullo jure prohibitum est Episcopo, ad preces & recommendationem aliorum alicui beneficium conferre, dummodò cæteras conditiones habeat. Confirmat idipsum frequens praxis. Verum Episcopus nullatenus tenetur, licet ordinariè soleat hujusmodi recommendato beneficium conferre.

41. Dices in Bulla Pij V. quanta Ecclesiæ, est que, § 8. inter constitutiones dicti Pontificis, expressè cavitur, ne ulla designatio, vel nominatio alicujus successoris in beneficio fiat. *R. cum Zælio de Simonia. n. 72. & Engel. de renunt. n. 8.* in dicta Bulla prohiberi tantum designationem successoris in beneficio, si fiat cum promissione, pacto, vel obligatione; non vero si per modum recommendationis ac rogationis humilis. Hinc hæc constitutione non obstante potest Episcopus beneficium in suas manus liberè resignatum conferre recommendato resignatario; nisi talis recommendatus esset consanguineus, aut affinis resignantis, vel admittentis resignationem; his enim vi dictæ Bullæ beneficia resignata nullatenus conferri possunt. *Idem sentit Reginaldus lib. 23. n. 249. Bonacina cit. n. 5. cum aliis.*

42. Concl. 3. Simonia est, si quis resignatur dat, vel promittit quodcunque temporale, ut resignans illum Episcopo, recommendet & rogando pro beneficio designet. Desumitur ex Bulla Pij V. n. *præced. citata:* Ratio est; quia uti dicemus infra, universaliter loquendo, Simonia est, dare alicui temporale, hoc pacto vel intentione principali, ut per ejusdem recommendationes & preces, aut alio modo spirituale quis acquirat *arg. c. præsentium, causa i. q. 5.* Ratio est; quia sic verè mediante temporali procuratur spirituale, & per illud ad hoc via paratur.

43. Conclusio 4. Simoniacum est resignare beneficium in favorem alicujus sub onere pensionis annuae præstandæ, nisi fiat sciente & consentiente summo Pontifice. Ita communis & certa. Ratio est, quia in hoc casu pro spirituali, beneficio nempè Ecclesiastico, datur temporale, pensione videlicet annua, id est certa pars redditum beneficij, qui si semel à beneficio sunt separati, quid merè temporale sunt. Accedit juris dispositio, vi cuius *beneficia sine diminutione conferenda sunt*: nec est in potestate partium, sed solius Pontificis pensionem beneficio imponere. Ex quo

44. Colligitur primò toties Simoniam committi, quoties ante resignationem partes contractum faciunt, vi cuius resignatus se obligat, quod resignanti, seu potius resignaturo, dare velit certam pensionem annuam, vel aliud quippiam temporale præstare, si in favorem ejus manus Pontificis resignet, velliberè resignans illum Episcopo recommendet.

Dixi *nisi fiat sciente & consentiente Pontifice*; hic enim solus ordinariè loquendo potestatem habet pensiones constituendi & imponendi, ut pote ad quem solum beneficiorum plena & libera dispositio ex potestatis plenitudine noscitur pertinere. Clem. I, in fine, ut lice pendente. Volum tamen & ut probabile defendunt. Barbosa p. 3. de offic. & potest. Episcopi allegat, 85. num. 3.

Castro Palao. de Simonia Disp. 3. puncit. 17. n. 13.
*Engel & alij, quod etiam Episcopus ex causa
rationabili pensionem resignanti assignare va-
leat; præsertim si resignans sit ætate decrepitus,
vel infirmus, ut sic ex pensione sustentetur: vel si
sit resignatio beneficij litigiosi pro bono pacis.
Unde ab initio hujus. n. notanter addidi solus
Papa regulariter loquendo potestatem habet pen-
siones constituendi.*

45. Quæres 1. quomodo ergo sine labo Si-
moniæ resignari possit cum reservatione pensio-
nis annuæ: Rz. Id fieri posse, si superiori, in-
cujus manus sit resignatio, desuper fiat suppli-
catio cum assignatione justæ causæ; qui enim
pensionem annuam etiam de consensu Papæ sine
justa causa obtinet, et si à Simonia, non tamen ab
alio peccato, immunis erit teste *Lessio lib. 2. c. 34.*
dubit. 38. n. 204.

46. Quæres 2. An non liceat prius cum il-
lo, in cuius favorem resignatio fit, saltrem tale-
pactum & contractum facere, ut certam pensio-
nem solvat, si Papa vel Episcopus (in casu, quo
hic potest) in eam consenserit? Rz. *Azorius. p.*
3. lib. 12. c. 8. Lit. E. cum Navarra, id absque
Simonia fieri non posse: Rationem dant; quia
*talis resignatio revera fieret cum pacto de com-
modo temporali pro re spirituali, omnis autem*
pactio in spiritualibus labem Simoniaæ continet.
Notat tamen licitum esse hujusmodi partibus

præ-

præviè tractare de pensione ad consensum Papæ
præstanta, dummodò contractus absolute non
concludatur.

47. Concl. s. Simoniacum est, si fit resigna-
tio beneficij hoc pacto, ut resignatarius solvat ex-
pensas, quas resignans in obtinendo beneficio
fecit. Ita expressè deducitur ex. c. cum pridem
de pactis, & tener Castro Palao de Simonia D. 3.
punct. 17. n. 15. Flaminius lib. 14. q. 7. num. 1.
Bonacina de Simonia Disp. 1. q. 4. § 14. n. 3. Lef-
fius lib. 35. dub. 15. n. 94. citans communem: Ra-
tio est; quia petitur pro spirituali aliquid tem-
porale, quod de jure non inest; nec ullus adest
titulus justus has expensas à resignatario exigen-
di. Non juvat, quod resignans dicat, se benefi-
cium gratis dare, & per refusionem expensarum
solummodo intendere, ut se servet indemnem.
Resp. Enim expensas illas, dum fiebant, absolu-
tè factas esse in commodum & utilitatem modò
resignantis, sine ullo respectu ad resignatarium
præsentem, utpote qui nullatenus earum causa
fuisse supponitur: hinc si has resignans ab eo
exigit, ex hoc solo titulo facit, quia resignat,
quod Simoniacum esse manifestè
patet.

OS [X] SC

QUÆ-

Q U Ä S T I O V.

*Quænam, & quot personæ in confe-
rendis, acquirendis, & procurandis be-
neficiis labe Simonia infici
possint?*

48. **U**ti ex titulo quæstionis constat non quæ-
ritur h̄ic de qualitate personarum, quæ
Simoniā incurrere possint; certum enim est,
omnes omnino cujuscunque conditionis, etiam
Papam, Cardinales, Episcopos, Prælatos, Cle-
ricos inferiores, Laicos cujuscunque dignitatis,
etiam hæreticos & paganos, Simoniā, quæ est
Juris Divini, incurrere posse; quia omnes sub-
jecti sunt legi divinæ: Sed quæritur, quænam
Personæ in acquisitione & collatione beneficio-
rum concurrere solitæ Simonia inficiantur? Cir-
ca quam materiam

49. Certum & apud omnes concessum est,
Simoniā committi. 1. ab eo, qui pro tempo-
rali beneficio promittit vel dat quomodocun-
que, sive conferendo, sive præsentando, aut no-
minando, sive eligendo. Secundò à Clerico, qui
pro re temporali data vel promissa beneficium
vel eius promissionem accipit; Horum enim
actionibus propriissimè convenit definitio Si-
moniæ, & quidem realis, si utrinque promissi
traditio actualis fiat. Unde hoc extra contro-
versiam

versiam posito h̄ic specialiter indagatur. 1. An etiam & quando beneficia procurantes pro tertio aliquo Simoniam incurant? 2. An & quando rogantes pro aliquo vel commendantes eundem, aut alias juvantes ad beneficium? 3. An & quando Simonia ex parte unius tantum esse possit?

50. Concl. 1. Procurantes quicunque beneficium pro aliquo alio Simoniam incurunt, si pro beneficio quid temporale dant vel promittunt. Ita communis & certa. Arg. c. sicut tuis. 33. de Simonia: Ubi hujusmodi procurantes Simoniae rei, & pñnis digni expressè declarantur. Et ratio est, quia sive pro se sive pro alio, mediante temporali quid spirituale quis procurat, Simoniam committit, hoc ipso, quod rem spiritualem adeò vilipendat, ut eam re temporali estimet, eiq; coæquet, & æquiparet: in hoc enim pravitas Simoniae essentialiter consistit juxta dicta Disp. prec. q. 1. Nec obstat, quod non pro se, sed pro alio id faciat: sicut enim à furto non excusat, qui non pro se, sed pro alio furatur, ita nec à Simonia immunis est, qui non pro se, sed pro alio spirituale per temporalia procurat: Cùm non minus hujus procreationi definitio Simoniae, quam illius ablationi definitio furti conveniat. Ex quo

51. Colligitur, Simoniae labem quam s̄pē contrahere parentes & consanguineos, dum p̄
F filio,

filio , aut consanguineo Canonicatum v. g. vel aliud Beneficium procurant , dando vel promittendo temporalia pretia, vel obsequia, favores aut commendationes Principum, officia aut promotiones. In omnibus enim hujusmodi protractionibus & procurantes Simoniaci sunt , & collatio Beneficij Simoniaca est , ipsoque jure nulla , etiamsi Beneficium accepturus Simoniam commissam ignoret, prout aperte patet ex cit. c. sicut tuis , & adhuc magis dicetur infra, Disp. seq. q. 3.

§ 2. Concl. 2. Simoniam committunt non tantum qui alicui familiari, officiali, amico, consanguineo, &c. alicujus Episcopi , collatoris , praesentatoris , aut eligentis dant , aut promittunt quid temporale , hoc pacto , vel motivo , ut ei beneficium impetreret , vel pro illo intercedat , aut eundem ad obtinendum beneficium recommendet ; sed etiam Simoniaci sunt hujusmodi ob acceptum aut promissum temporale , recommendantes, rogantes, aut impetrantes. Ita Bonacina de Simonia q. 1. §. 1. n. 14. Fillius de Simonia Disp. 9. n. 17. Barbosa. in c. nemo de Simonia n. 4. Layman. lib. 4. Tr. 10. c. ult. de Simonia §. 6. n. 65. Navarus. c. 23. n. 106. Diana, Sylvester. v. Simonia. q. 6. Sotus, Suarez cum communi, arg. c. presentium causa. 1. q. 5. & c. sicut tuis 33. de Simonia. Ratio est ; quia, ut inquiunt DD. paria sunt, dare collatori & dare tertio, ut moveat collatorem ad conferendum, atqui si datur tempore

porale collatori, ut spirituale conferatur, & dans
& conferens Simoniaci sunt, ergo etiam si datur
tertio, & dans, & tertius ille Simoniam incur-
rent. Confirmatur: qui dat vel promittit tem-
porale, ut juvetur ad spirituale, revera procurat
per temporale spirituale; hoc autem esse Simo-
niacum, nemo dubitat, ergo. Similiter qui ob
temporale ad spirituale juvat, & commendat,
quodammodo moraliter dat spirituale pro tem-
porali, quia est causa, quod alteri physicè detur,
consequenter & iste Simoniacus erit.

53. Nec valet, si dicitur; qui dat tempora-
le pro recommendatione, non dat pro spirituali,
nec qui recommendat, vel rogat, dat pro tempo-
rali spirituale, sed quid temporale recommenda-
tionem nempè vel preces, quæ sunt quid merè
temporale. Nam contra est, quod saltem me-
diatè detur tempore pro spirituali; qui enim
dat temporale pro recommendatione, hoc prin-
cipaliter, & præcisè propter spirituale, benefi-
cium nempè Ecclesiasticum, aquirendum facit,
non autem propter ipsam recommendationem;
si enim sciret, quod mediante illa recomenda-
tione spirituale non aquireret, certè eam parùm
curaret, nec quidquam pro ea daret, consequen-
ter dum dat, intuitu spiritualis sive principaliter
ob spirituale, dat temporale pro spirituali, sicque
Simoniam committit.

54. Concl. 3. Non est Simonia dare vel pro-
F 2 mit-

mittere quid temporale officiali, familiari, vel consanguineo Episcopi, ideò solùm , ut alicujus qualitates & merita secundùm rei veritatem proponat, vel ut faciliorem aditum præbeat ad Episcopum. Bonacina loco cit. n. 15. & 16. Filliucius disp. Tract. 45. c. 12. q. 7. n. 12. Laym. cit. Suarez, Sylvester. &c. Ratio est ; quia prædicta sunt obsequia merè temporalia prætio æstimabilia , consequenter pro ijs temporale dari aut promitti absque Simonia potest. Addunt tamen citati DD. circa proponentem qualitates & merita, Simoniam non committi ; si præcisè se habeat per modum veridicè informantis , vel testis ; si vero addit preces, commendationes , quibus inducatur Episcopus ad beneficium conferendum , Simoniacum erit juxta conclusionem præcedentem. Unde bene observat Laym. cit. rem in praxi periculo non carere , dare vel accipere pecuniam pro informatione ejusmodi vel aditu faciendo , quod periculum tamen abesse videtur, si quis propter hoc interea patitur damnum emergens vel lucrum cessans , & intuitu hujus proportionaliter quid accipit vel exigit .

• OS [X] S.

QUÆ.

QUÆSTIO VI.

De Simonia, quæ committitur in ingressu, & receptione in Religionem.

55. Supponitur priùs tanquam certum, & ab omnibus concessum, veram committi Simoniam juris divini, si datur, vel promittitur aliquid temporale pro ipso ingressu Religionis; eò quod Religio verè sit quid spirituale ad finem supernaturalem, salutem animæ, & perfectionem charitatis ordinata: proceditque hoc suppositum non tantum de professione Religiosa, sed de ipso etiam ingressu ad probationem, ut ex communib[us] benè notat *Pirk. de Simonia* sect. 3. §. 3. n.
58. Hoc itaque tanquam certo supposito, in jure sèpius expresso, & à DD. communiter concessò, ut videre est apud *Lessium cit. dub. 12. Suarez. l. 4. de Simonia. c. 17. n. 4.* & *Bonacinam* & alios.

56. Examinandum venit. 1. An, & quando sit Simonia, petere, & exigere aliquid temporale ab ingredientibus religionem? Secundò. Quid in hoc valeat consuetudo? Tertiò. Quid de receptione gratuitò oblatorum ab ingredientibus?

57. Concl. 1. Si Monasterium est inops & tenue, ac insuffcienter adhuc in mediis fundatum, licitum & consequenter à Simonia alienum est, petere & exigere ab ingredientibus Religio-

nem temporalia , & cum eisdem desuper pacisci , non quidem pro ipso ingressu Religionis, sed pro honesta sustentatione ingredientis. Ita D. Thomas. 2. 2 q. 100. A. 3. ad quartum. Less. cit. n. 71. Azorius cit. c. 16. Marchant. Tom. 3. Tr. 10. Tit. 6. q. 10. Pirbing cit. n. §9. Sylvester, Laym. Sotus, Cajetanus, Navarrus cum communione aliorum & Glossa in c. quoniam h. t. xl. paupertatis. Ratio est ; quia in hoc casu tempore non datur vel exigitur pro spirituali; ingressu nempe Religionis , sed ut quid necessarium pro alimento , vestitu , & sustentatione ingredientis , quod est quid temporale.

§8. Nec obstat huic conclusioni extrav. sanè, i. de *Simonia*, ubi absolutè & indistinctè prohiberi videtur, petere vel exigere aliquid ab ingredientibus Religionem. Rz. Enim cum Pirh. de *Simonia*. sect. 3. n. 60. Suarez. l. 4. de *Simonia*. c. 17. n. 16. per dictam extrav. Non omnes omnino petitiones & exactiones prohiberi, sed illas tantum, quæ sunt absque necessitate à Monasterijs aliàs jam sufficienter fundatis, illas verò, quæ ex vera necessitate pro sustentatione ingredientium sunt à Monasterijs pauperibus, ac insufficienter fundatis, permitti. Fundamentum hujus Responsionis est ; quia dicta extravagans præter additionem censoriarum nihil novi statuit, sed tantum renovat & confirmat iura antiqua, prout patet ex illis verbis , quam-

vis sit eis à jure inhibitum; Jura autem antiqua statuunt, quod dicit Responsio, ergo.

59. Dices c. quoniam. 40. de Simonia etiam videntur prohiberi petitiones & exactiones, quæ fiunt ex necessitate; quia ibidem jus prohibet illas fieri sub praetextu paupertatis. Rx. Hoc capite prohiberi exactiones sub praetextu paupertatis falsæ, fictæ, & coloratæ, quem quandoque habet Monasterium, quod verè inops non est, secus est de paupertatis veræ praetextu, ut benè explicat *Glossa* in cit. c. V. paupertatis.

60. Urgebis. c. periculoſo. unic. §. sanè de statu Regularium in 6. districtius, inquit Pontifex, prohibemus, ne in Monasteriis mendicantium aliquæ recipiantur in forores, niſi quot poterunt de ipsis Monasteriorum bonis, ſive proventibus absque penuria ſuſtentari? ſi ſecus actum fuerit, irritum decernentes. Quod idem conſirmat & renovat Concilium Trid. ſess. 25. c. 3. de Refor. Regu. ex preſſe ſtatuenſ, ut in Monasteriis tam virorum, quam mulierum, iſ tantū numerus conſtituatur, & conſervetur, qui ex proprijs redditibus Monasteriorum, vel conſuetis Eleemosynis commode poſſit ſuſtentari: Conſequenter ſi ingredientem ſuſtentare nequeunt, ab ejus receptione abſtinere debent, non verò pro ejus ſuſtentatione aliiquid petere vel exigere. Rx. Cum Less. cit. n. 72. ambas has conſtitutiones, et ſi quid probarent, nos non stringere; quia uſu non ſunt ubique rece-

ptæ , sicque nullam obligationem induentes.

61. Concl. 2. Si Monasterium est opulentum , & sufficienter fundatum , Simonia saltem jaris humani Ecclesiastici est, exigere aliquid pro sustentatione ingredientis. *March. cit. Concl. 4.* *Lessius cit. n. 68* citans Victoriam dicente, ita sentire omnes Doctores, conformiter juri. *c. non sat. 8. c. dilectus. 3. & c. quoniam. 40. de Simonia.* *juxta Extrav. sanè. 1. de Simonia.* Ratio est; quia quando Monasterium opulentum & pro sustentatione ingredientis jam sufficienter fundatum est, non amplius pro sustentatione , sed pro ipso ingressu Religionis exigi præsumitur , & censetur temporale : & hinc meritò per jura citata tanquam Simoniacum sub pænis Simoniae prohibetur.

62. Notandum tamen hic cum *March. quodd ab hac Simonia exempta sint Monasteria etiam abundantia Monialium præsertim sub cura FF. Minorum degentium per Clementem VII. & Innocentium VIII. declarantes , Moniales nullam incurrere Simoniam ex passionibus, & conventionibus , quas faciunt in receptione intrantium ordinem ; excepto, quando paciscuntur de aliquo dando vel solvendo pro ipso ingressu Religionis, & quando recipiunt inhabiles ob spem habendi aliquid.* Verum ut bene observat *cit. Author* , *Moniales licet per dictos Pontifices excusentur à Simonia, & pænis ejus, non tamen ab avaritia, mendacio,*

&

& scandalo, quod committunt, si Monasterium sufficienter fundatum est, & tamen sub prætextu paupertatis, vel sustentationis exigunt & petant aliqua ab ingredientibus.

63. Dixi Simonia saltē juris Ecclesiastici; quia si Monasterium cæteroquin opulentum nihilominus revera non pro ingressu, sed pro sola sustentatione ingredientis quid exigit, Simoniæ juris divini condemnari nequit, prout volunt AA. citati. Addit Pirh. cit. ex Less. etiam à Simonia Ecclesiastica, pñnisque illius immune esse Monasterium opulentum, prædicto modo exigens ibi, ubi est consuetudo exigendi temporalia pro honesta sustentatione, eò quod consuetudo deroget legi humanæ. Verūm quia hæc consuetudo in jure, extrav. sanè. I. de Simonia expressè tanquam corruptela reprobatur, approbanda non videtur, sed judicandum desuper aliis relinquitur. Interea ponitur

64. Concl. 3. Dato non concesso, quod Monasterium opulentum, & sufficienter fundatum, vi consuetudinis petere & exigere possit ab ingredientibus aliquid pro honesta sustentatione, peccat nihilominus gravi peccato avaritiæ, si hoc facit. Ita March. cit. Concl. 3. ex Navarro dicente, ita semper reputatum esse in Ecclesia Dei. Favet etiam ipsemet Lessius cit. n. 70. Ratio conclusionis est; quia (sunt verba March. cit.) Cùm Monasterium, uti supponitur, sit abun-

dans & dives, eique divitiæ acquisitæ & traditæ
sint sufficietes ad sustentationem Religiosorum vel
Monialium, ad minus peccato indignæ religioso sta-
tui avaritiæ peccant, & Spiritui sancto mentiun-
tur, qui abundante divitijs Monasterio, ad suspen-
tationem certi numeri Religiosorum, sub titulo ne-
cessitatis iterum de alimentis & sustentatione paci-
scuntur: Hucúsque Marchant: quibus non ob-
stantibus est

65. Concl. 4. Cuivis Monasterio quantum-
vis opulento licitum est accipere ea, quæ ingre-
dientes sine aliquo pacto vel exactione gratis
dant & offerunt. Ita communis & certa, quia
expresse conceditur in jure extrav. sane. 1. de Si-
monia ibi: illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingre-
dientes purè & spontè, & plenâ liberalitate om-
nique pactione cessante dare, vel offerre Ecclesiis,
Monasteriis, Prioratibus, domibus & locis hujus-
modi voluerint, cum gratiarum actione licet ac-
cepturi &c. Et quia jus est clarum, aliâ proba-
tione conclusio non indigeret. Et ex his pro
compendiosa notitia non inutili, breviter reca-
pitulando dicta, sequens ponitur

66. Corollarium: in materia Simoniæ circa in-
gressū Religionis sequentia sunt indaganda. 1. An
temporalia, quæ dantur, dentur liberè & gratis,
vel vi præcedentis exactiōnis & petitionis? Si
primum: nulla Simonia nec aliud committitur
peccatum: si posterius, tunc ulterius videndum.

2. Ex quo titulo, an videlicet pro ipso ingressu Religionis, vel pro honesta sustentatione? si primum: committitur Simonia juris divini, pænæque juris infra ponendæ incurruuntur: si posteriorius, rursus investigandum, an Monasterium revera sit inops, vel opulentum & sufficienter jam fundatum? si primum: exactio, petitio & receptio carebit omni labo Simoniæ, quodcunque tandem sit Monasterium. Si secundum, adhuc quærendum: an sit Monasterium fæminarum vel virorum? si primum, exigentes quidem à Simoniæ, non tamen semper ab avaritiæ & scandali peccato immunes erunt: si posterius: non tantum peccato avaritiæ, & scandali, sed & Simoniæ saltem juris Ecclesiastici ejusque pænis subjacebit exactio & petitio præfata; nisi quis velet cum Pirk. cit. n. 59. Saltem à Simonia, eiisque pænis excusare Monasteria illa opulenta, in quibus non obstante sufficiente fundatione vigeret consuetudo exigendi & petendi quid temporale pro sustentatione ingredientium. Quod quām probabile sit patet ex n. 63.

67. Notandum tamen adhuc, quod licet juxta dicta gratuitò per ingredientes oblata, à quovis Monasterio licet accipi valeant, Simonia nihilominus facillimè committatur: Si nempe illa oblatio verè gratuita non est, sed speciem tantum externam gratuitæ oblationis habet: quod tunc sit, quando Monasterium ingredientem

tem non reciperet, nisi hanc vel illam pecunia^m
summam daret, aut promitteret, & ingrediens
ideo det, vel promittat, ut recipiatur ad Mo-
nasterium; in hoc enim casu & Religiosi in Mo-
nasterijs opulentis, & ingrediens apud districtum
Judicem Simoniæ rei sunt; quantūmvis inter-
nam intentionem celantes, speciem gratuitò ob-
latorum prætendant, prout apertè colligitur
ex. c. tuas nos. 34. de Simonia, & extrav. cit. quæ
vult, *ut plena liberalitate fiat hæc oblatio.* Ra-
tio est; quia à parte rei temporale pro ipso in-
gressu Religionis datur, & accipitur. Et hoc
maxime procedit, quando intuitu temporalium
recipiunt inhabiles, in quo casu Innocentius
VIII. etiam Moniales, quibus aliàs in Materia
Simoniæ valdè favorabilis est, expressè vult in-
clusas.

Dixi in Monasteriis opulentis; si enim hæc
opulenta & sufficienter dotata non sunt, hone-
stam & necessariam ingredientis sustentationem
prætendere, & per eam Simoniæ labem abster-
gere possunt, juxta dicta. n. 5. 6. dummodò non
plus exigant quām sustentatio requirit. Enim
verò

68. Notandum insuper, quod quamvis Mo-
nasteria virorum insufficienter dotata, & Mo-
nialium etiam opulenta (juxta Innocentium
VIII. apud March. cit. q. 10.) absque Simonia
pro sustentatione sufficienti ingredientis petere
&

& exigere temporalia valeant, peccent tamen Simoniae peccato, qui plus petunt, quam honesta sustentatio requirit: ut ex Suarez bene observat Pirh: *de Simonia s. c. 3. §. 3. n. 59.* Ratio est; quia illud superfluum, cum alio justo titulo careat, vere ratione ipsius ingressus exigitur, quod intrinsecè malum est. Ex quibus notatis ponitur

69. Corollarium secundum: toties Simoniae peccato se contaminant Regulares, præsertim in Monasterijs opulentis, quoties ab ingredientibus plus exigunt, & petunt, quam juxta exigentiam statutus honesta sustentatio requirit: vel si sine exigentia principaliter ideo recipiunt, ut illorum abundantes pro sustentatione non necessarias dicitas acquirant, alias non recepturi; nam juxta dicta *Disp. præc. q. 3.* non tantum qui mediante pacto & contractu spiritualia pro temporalibus dant, sed insuper etiam, qui temporalia ex motivo consequendi spirituale, aut econtra dant, Simoniaci sunt. Quantum autem ad honestam sustentationem Religiosæ Personæ requiratur, prudentiæ & conscientiæ illorum relinquitur, qui exigunt.

* † *



QUÆSTIO VII.

De Simonia, quæ committitur in venditione & commutatione rerum sacrarum & benedictarum.

70. **N**otandum, per res sacratas, seu benedictas h̄ic intelligi illas, quæ in se temporales, per certas Ecclesiæ preces, & benedictiones benedicuntur & consecrantur, sicutque aliquo modo spirituales, seu potius spiritualibus annexæ evadunt, & vocantur: tales sunt calices consecrati, benedicta rosaria, numismata, cruces, brevia. &c. seu Agnus Dei, ut vocant, item, vestes, vasa, aqua, panis, sal, vasa benedicta, ac alia sacramentalia. Huc etiam reducuntur, & spiritualibus annexa dicuntur illa temporalia, in quibus tanquam ornamentis, & receptaculis res pure spirituales continentur, ut reliquaria. &c. De his igitur, quæritur in præsenti, an & quando in eorum venditione aut permutatione Simonia committatur? pro quo est.

71. **C**oncl. I. Supradictæ res sacratae ac benedictæ absque vitio Simoniæ vendi, vel pro temporalibus permulari possunt secundūm quod temporales sunt, dummodo intuitu spiritualitatis, benedictionis vel consecrationis, non plus detur, quam materia illa valeret, si benedicta & consecrata non esset, & alias illius rei temporalis

lis venditio aut permutatio de jure positivo prohibita non sit. Ita *Reginaldus lib. 23. n. 17. Pirb.*
de Simonia, sect. 4. n. 77. Navarr. Sotus & communis aliorum. Ratio est; quia in tali venditione & emptione, non datur temporale pro spirituali, nec intuitu spiritualis, sed verè temporale, pro temporali, consequenter nulla Simonia subsistit.

72. Dices. Ex hoc sequeretur, quod etiam beneficium vendi posset, secundum id, secundum quod est quid temporale, videlicet secundum jus percipiendi redditus. Sequela videtur contradicta, ergo. Rz. I. Negando sequelam, & paritatem inter beneficia & res benedictas supra nominatas: disparitas est, quod in rebus benedictis res temporalis sit prius, & ordine praecedens spiritualitatem, seu ly spirituale, eique presupponatur; spirituale autem sit posterius & quasi accessorium: econtra vero in beneficiis Ecclesiasticis, quamvis praeter titulum spirituale, videlicet jus exequendi Ministeria spiritualia, seu munera Ecclesiastica, officium communiter dictum, etiam reperiatur quid temporale, nempe jus percipiendi fructus, tamen in istis spirituale est antecedens prius ac principale, temporale vero posterius est accessorium, nec datur, nisi presupponatur illud, *juxta. c. ult. de rescriptis in. 6. beneficium datur propter officium.* Hinc venit, quod temporale quâ tale in rebus sacratis, non

item

item in beneficijs vendi aut pro temporalibus commutari possit; prout argumentatur. *D.Thomas. 2. 2. q. 100 A. 4. Azorius. p. 3. lib. 12. c. 11. litt. B. Reginaldus citatus. Pirhing. de Simonia; sect. 4. n. 77. cum aliis. arg. c. si quis. 7. caus 1. q. 3. ibi: quisquis horum vendit, sine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

Rg. 2. Dato non concessso, quod, quantum est de se, in beneficijs jus percipiendi redditus vendi posset, quatenus est res temporalis, adhuc sequela falsa foret; quia id specialiter est prohibitum à jure arg. c. querelam. 15. & c. tuas nos. 34. de Simonia, & c. ult. de pactis. Unde in conclusione notanter addidi: nisi rei illius venditio aut permutation alia de jure sit prohibita; qualiter etiam Materia Chrysantis, Balsamum nempè & Oleum vendi prohibentur. c. ea, quæ. 16. de Simonia.

73. Duxi in conclusione, dummodò intuitu spiritualitatis, benedictionis vel consecrationis. &c. plus non detur, quam materia illa valeret, si consecrata vel benedicta non esset. Ex hoc enim, Teste Reginaldo cit. & aliis, tanquam ex regula Generali facillimè cognosci potest, an in harum rerum venditione, aut permutatione Simonia committatur, nec ne: etenim Simonia committitur toties, quoties propter spirituale, vel intuitu illius, plus datur pro re sacrata, quam materia ejusdem temporalis absque consecratione valet: sic enim tem-

temporale pro spirituali dare, & mediante illo
istud per contractum onerosum procurare, inde-
que hoc ipso Simoniam perpetrare, quis aperte
convincitur.

74. Concl. 2. Rem spiritualem pro spirituali
sive sacram & benedictam pro alia benedicta
commutare universaliter licet, & vitio caret Si-
moniae, exceptis beneficijs. *Diana p. 4. Tr. 4.*
resol. 150. Layman. cit. n. 2. Pirb. de Simonia.
Sect. V. §. 1. n. 124. arg. c. ad quæstiones: de re-
rurum permuat. juncta Glossa ꝑ. per se queant. Ra-
tio est; quia nec jure divino, nec humano talis
permutatio tanquam Simoniaca prohibita est:
non de jure divino; quia non datur temporale
pro spirituali: nec de jure humano; quia vi hu-
mus nulla permutatio rei spiritualis pro spirituali,
tanquam Simoniaca reperitur prohibita, exceptis
beneficijs, consequenter cum materia sit poenalis
& odiosa, eam non extendere, sed restringere
debemus. Ad illa capitula juris, quibus uni-
versaliter prohiberi censetur omnis pactio circa
spiritualia, respondimus jam supra. Disp. preced.
q. 2. n. 16. Dixi exceptis beneficijs, horum enim
permutatio facta, privatorum authoritate, spe-
cialiter tanquam Simoniaca prohibita est, c. quæ-
sum. 5. & c. olim. 7. de rerum permut. Ex his
deducitur

75. Corollarium: absque Simonia permu-
tatur reliquiarium pro reliquiario, vel alia re-

sacra, item Agnus Dei, vel Breve, uti vocant pro crucibus, & numismatibus benedictis, vel aliis similibus rebus sacratis. Econtra Simonia committitur, si pro prædictis intuitu spiritualitatis, vel quia sunt sacrata, benedicta, habentia indulgentias, &c. dantur profana v.g. cultelli, imagines non benedictæ, horologia, vel alia Similia spiritualitate carentia. Dixi notantur; si pro prædictis intuitu spiritualitatis. &c. dantur profana: Quod semper fit, quoties pro illis plus datur temporale, quam artificiosa materia rerum sacrarum valeret; si consecrata non esset, juxta dicta n. 4. Simonia autem carebit, si juxta prudentem æstimationem temporale æquale datur pro materia artificiosa spiritualis rei, vel etiam plus non intuitu spiritualitatis, sed gratis. Sic qui pro rosario habente indulgentias dat temporale propter indulgentias, vel si dat quidem pro materia rosarij quid temporale, sed ob indulgentias plus dat, quam materia indulgentiis carens valeret, Simoniam committit ex quibus.

Colligitur quod haud dubiè aliqui Simoni-am commisissent, nisi ignorantia, & bona fides excusasset.





DISPUTATIO III.

*De causis, & titulis excusantibus à
Simonia, pénis item, & dispensatione
ejusdem.*

QUÆSTIO I.

*De causis & titulis excusantibus
à Simonia.*

1. Procedit hæc quæstio de causis & titulis excusantibus à Simonia commissa, non tantum in beneficiis, & Religionis ingressu, sed etiam in omni alia materia spirituali. Hujusmodi causæ & tituli præcipue sunt quinque sequentes videlicet. 1. Honestæ sustentatio. 2. Consuetudo. 3. Labor. 4. Ignorantia. 5. Redemptio vexationis. Quomodo & quando quatuor primi revera à Simonia excusent, dicemus per conclusiones sequentes, de quinto dicturi in sequenti. q.

2. Concl. 1. Licitè & absque ullo Simoniae vitio accipitur, quin & exigitur temporale pro-

spirituali quocunque ; si sit titulo debitæ & honestæ sustentationis. Bonacina de Simonia disp. I. q.6. punc̄to 2. Reginaldus lib. 23. n. 123. & communis aliorum. Ratio est ; quia non datur vel exigitur pro spirituali quid temporale tanquam pretium, quo res spiritualis temporali æstimaretur, eique æquipararetur, sed tanquam debita sustentatio, quæ de jure naturæ debetur cuivis, qui alteri servit, nam juxta divinum oraculum Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua,* & ad Rom. 15. 1. *Qui altari servit, de altari vivere debet.*

3. Et hic est titulus valde communis, universaliter excusans Ecclesiasticos à Simonia, dum redditus vel alia temporalia accipiunt pro Missis, orationibus, & varijs functionibus spiritualibus, ac Sacramentis, quæ ministrant & præstant. Eodem titulo à Simonia excusantur, qui pauperibus dant pecuniam vel alia temporalia, hac intentione, vel etiam pacto, ut pro eis pauperes orent. Reginaldus cit. 3. Nec obstat quod plurimi Clerici habeant aliunde, unde sustentari possint ; quia hoc est per accidens : nec tenetur aliquis militare propriis stipendiis, juxta Apostolum 1. ad Corinth. 9. Ex quo cum communiori

4. Deducitur universalis Doctrina, posse Clericum quantumvis alias divitem, titulo sustentationis accipere & exigere temporale pro spirituali, quod præstat, nisi teneatur hoc præsta-

re ex officio, pro quo assignatum jam habet aliundè suum stipendium ad sustentationem sufficiens ; uti ex Suarez benè observat Bonacina cit. tunc enim, cùm omni justo titulo careat, haud dubiè Simoniam committit, si pro spirituali temporale quid exigit. Nisi redditus ratione officij essent tam tenues , ut pro honesta sustentatione intuitu personæ, status & officij non sufficerent ; nam hoc stante super redditus assignatos, tantùm adhuc pro spirituali accipere, imò & exigere potest, quantum ad hujusmodi sustentationem sufficiens esse, prudens æstimatio dictaverit : & hoc tunc præcipue, quando sciente & consentiente superiore adest consuetudo : nam est

¶. Concl. 2. Quamvis nulla consuetudine introduci possit, quod pro spirituali accipiatur vel exigatur aliquid temporale tanquam pretium , nihilominus vi consuetudinis absque Simonia dari , accipi & exigi possunt pro spiritualibus temporalia ex honesto ac justo titulo. Reginaldus lib. 23. n. 134. & seqq. Azorius parte. 3. lib. 12. c. 19. q. 1. Bonacina de Simonia Disp. 1. q. 6. Pirh. tit. de Simonia. sect. 2. §. 5. cum communi aliorum. Prima pars per se patet ; quia nulla consuetudo contra jus divinum valida est vel licita ; atqui dare pro spirituali temporale tanquam pretium , est Simonia contra jus divinum , ergo. Hinc hujusmodi consuetudines in jure

Canonico passim, ut, c. cùm in Ecclesia de Simonia tanquam corruptæ damnantur. Secunda pars desumitur ex c. ad Apostolicam. de Simonia, Concil. Trid. sess. 24. c. 14. ubi præcipiuntur observari laudabiles & pia consuetudines, vii quarum pro administratione spiritualium dantur temporalia, atqui consuetudo justo, honestoque titulo vestita, talis est, ergo.

6. Concl. 3. Justi Tituli consuetudinem dandi accipiendi vel exigendi pro spiritualibus temporalia laudabilem reddentes potissimum duo sequentes sunt. 1. Et præcipue, si dantur in honestam sustentationem, quod sit, si hujusmodi Clericus ex officio spiritualia ministrans; intuitus hujus officij nullos, vel ad sustentationem non sufficientes habet redditus. Secundò. si ipsi fideles diuturno tempore, et si pia tantum ac libera devotione, tacito superiorum consensu aliquid offerre consueverunt Clericis, alias sufficientes redditus jam habentibus. Primam partem tenent omnes: & ratio est; quia cùm juxta dicta n. 5. in honestam sustentationem liceat exigere vel accipere pro spiritualibus tempore, ubi non est consuetudo, multo magis id licebit accedente consuetudine. Addit Pirb. cit. ex Suarez. l. 4. de Simonia. c. 48. Laym. lib. 4. Tr. 10. c. ult. §. 2. n. 16. Quod, et si successu temporis, Clericorum redditus in aliis, v. g. decimis ita augeantur, ut ad honestam sustentationem omnino sufficientes sint,

sint, consequenter titulus sustentationis cesseret, possint nihilominus dicti Clerici pro spiritualibus functionibus illa temporalia exigere & accipere, quæ priùs jam longo tempore tanquam debita fuere recepta bona fide, eò quòd jus per præscriptionem aquisitum esse censeri possit, ac debeat.

7. Secundam partem tenent Laym. Pirh. & Bonacina cit. Rationem dat Bonacina; quia consuetudo introduci potest circa omne illud, quod esse potest materia legis, sed hujusmodi proventus esse possunt materia legis, quatenus legitimus superior præcipere potest, quòd proventus ad sustentationem augeantur, ergo. Confirmatur ratione. n. præcedenti data, desumpta à præscriptione.

8. Dices, per actus omnino liberos & ex devotione mera factos, consuetudo obligatoria introduci nequit, ut arg. c. Abbate. de verb. sig. tenet communis; sic enim, qui longissimo tempore aliquem liberè hospitio suscipere, aut ei Eleemosinam dare consuevit, non contrahit consuetudinem obligatoriam; ergo nec in casu nostro. Rz. Ant. verum esse, ubi consuetudo hujusmodi non adjuvatur juris adminiculo, uti est in adductis exemplis; falsum verò, si adjuvatur; pia autem consuetudo, vi cuius ex libera devotione fideles pro spiritualibus dant temporalia, adjuvatur adminiculo juris, quod. c. ad Apostolicam.

de Simonia. præcipit, hujusmodi consuetudines observari. Consequenter si post spiritualia accepta, fideles temporalia ex dicta consuetudine dari solita præbere recusant, ea tanquam debita exigere possunt Clerici à fidelibus, imò etiam eos per Episcopum ad id vi compellere.

9. Dixi immediatè post accepta spiritualia, qui enim ante spiritualia collata, vel præstata exigunt temporalia, non præstituri spiritualia, nisi priùs temporalia dentur, vel promittantur, haud dubiè Simoniam incurrent (nisi fiat ad honestam sustentationem) ut communiter observant DD. præsertim citati ut *Azorius loco cit. Reginaldus cit. Pirh. cit Hostiensis Panormitanus, cum Glossa:* qui omnes capitula juris consuetudinem exigendi temporalia pro spiritualibus reprobant, interpretantur de consuetudine, vi cuius exigitur temporale ante præstitum spirituale, patetque clarè ex. c. ad *Apostolicam de Simonia*. Et quamvis *Cajetanus ac Navarrus apud Reginaldum cit.* velint, posse subinde ante administrationem spiritualium ad evitandas contentiones & molestias probabiliter futuras, temporale tantum peti, quantum dari alias consuetum erat, dummodo absit scandalum; nihilominus ab hoc omnino abstinendum ob scandalum & speciem Simoniæ, ceteri suadent DD. Et ex his pro praxi

10. Colligitur quid sentiendum de Parochis, qui

qui pro administratione Sacramentorum vel aliis functionibus spiritualibus, præter communes redditus & decimas, recipiunt vel exigunt adhuc alia temporalia: in his enim attendendum. Primum, an ex communibus redditibus & decimis habent honestam sustentationem vel non? Si non, ea licet accipiunt, & exigunt, utpote justissimum habentes titulum, honestæ nempe sustentationis. Si habent jam honestam sustentationem, attendendum: Secundò, an adsit jam longæva consuetudo dandi temporalia pro hujusmodi spiritualibus functionibus, vel non? Si non, tunc possunt quidem post præstita spiritualia accipere gratis & liberè aliqua data temporalia (licet perfectius ficerent, si abstinerent) neutiquam tamen nec antea nec postea exigere possunt, utpote carentes omni justo titulo. Si adest consuetudo, accipere & exigere valent, non obstante, quod alias sint divites, & per communes redditus sufficientissimè promissi: Etenim

I. Notandum specialiter cum Azorio cit. pro universali doctrina, quod omnis consuetudo accipiendi vel exigendi tempore pro spirituali censeatur legitimè introducta, consequenter pia & laudabilis, & juris adminiculo obligacionem inducens, quamdiu non constat eam fuisse introductam illegitimè: Semper enim Rationaliter præsumitur, ab initio cœpisse introduci hujusmodi consuetudines accipiendi, vel exi-

gendi pro spirituali temporale , ex justo titulo , honestæ sustentationis v.g. vel justi stipendij pro labore , vel ex pia ac libera devotione gratis dati.

12. Pariter discurrendum de aliis Clericis ex officio spiritualia ministrantibus , v. g. Vicariis Generalibus, pro licentia Paschali, pro dimissorialibus, investituris, aliisve actibus jurisdictionis spiritualis , quid temporale accipientibus ; hi enim à Simonia , & ab alio peccato immunes erunt , si accipiunt , vel post præstata spiritualia à recusantibus exigunt temporalia ; quia alias pro officio hoc nullum , vel insufficiens ad honestatam sustentationem habent salarium : vel si accipiunt tanquam dari solita ex consuetudine , de qua non constat quod sit illegitimè introducta :

13. Cœterūm quānam & an non subinde aliqua consuetudo accipiendi temporale pro spirituali illegitimè introducta , irrationalis & corruptela sit, de mandato Concil. Trid. sess. 24. c.

14. Episcopi diligenter examinare & indagare debent , ac illis tantūm , quas laudabiles (id est justo titulo juxta prædicta nitentes , uti volunt DD. communiter) probaverint , exceptis , reliquas , que Simoniacæ labis , aut sordide avaricie suspicionem habent . &c. ut pravas ac scandalosas rei- cere , & abolere . &c. quantumvis immemorabiles sint.

14. Ex quo colligitur consuetudines illas longævas exigendi temporale pro spirituali, quas Reverendissimi Ordinarij sciunt & patiuntur, dum bene contradicere possent, esse legitimas & sine scrupulo practicari posse, illas vero, quas rei- ciunt, vel declarant pariter rei ciendas, vel juxta declarationem factam observandas esse.

15. Si queritur, quantum tempus requira- tur ad introducendam ejusmodi consuetudinem? Respondeatur cum Layman cit. Pirk. cit. n. 45. & aliis ab ipso citatis, sufficere decennium; eò quod hæc consuetudo non sit contra jus, sed juri con- formis, pia insuper & laudabilis, nec contra Cle- ricos sed Laicos introducta.

16. Dices, datur in quibusdam locis valde longæva decennium longè excedens consuetu- do dandi, offerendi, vel promittendi varia tem- poralia pro impetrandis beneficiis, vel econtra- dandi beneficia pro impetrandis temporalibus, ergo hæc quoque erit licita & à Simonia excusa- bit, consequenter falsa erunt, quæ tam amplè de Simonia in beneficiis commissa hactenus sunt dicta. Rz. Dato non concessio aut. negando consequentiam: quia hæc consuetudo nullo justo titulo prædicta, consequenter illegitima & mala corruptela est: cum vi illius non dentur tem- poralia ad honestam sustentationem, nec ex fide- lium pia devotione sed potius ex affectu Simo- niaco: nec sciente & tacite consentiente Papa vel

vel Episcopo, sed magis semper contradicente, ac
damnante, legesque severas, & graves pænas
intendidem contra eam statuente, vel statutas con-
firmante. Unde etiam venit, quod hujusmodi
consuetudinem nemo aperte practicare, sed qui-
vis eam, quantum potest abscondere, & solus
cum solo, agere, ac hoc ipso, quod eam malam
reputet, manifeste indicare solet. Quapropter
nullus DD. hanc consuetudinem probat, sed eam
omnes unanimiter & meritò reiiciunt, ac tan-
quam Simoniacam damnant.

17. Concl. 4. Non est Simonia accipere
aliquid propter laborem extrinsecum, operi seu
Ministerio spirituali per accidens conjunctum,
& aliunde non debitum: secus est de labore in-
trinsico. *Leff. lib. 2. c. 35. dub. 8. n. 45. Palae
de Simonia. punct. 11. n. 3. Bonacina cit. q. 6. punct.
3. n. 2. Layman. lib. 14. Tr. 10. c. ult. §. 4. n. 41.* &
communis aliorum. Ante probationem notan-
tum ex Bonacina cit. n. 4. & communis DD. il-
lum laborem dici extrinsecum & per accidens
conjunctum, sine quo opus seu Ministerium spi-
rituale in se bene fieri potest: illum verò dici in-
trinsicum qui ita necessariò est operi conjunc-
tus, ut sine illo istud fieri nequeat: Sic v. g. si
quis pro aliquo Missam celebraturus pergere
debet ad locum distantem unâ vel alterâ horâ, iti-
neratio, quam peragit, dicitur labor Missæ extrin-
secus: econtra verò pronuntiatio verborum, &

motio membrorum, in actuali celebratione fieri solita, est labor Missæ intrinsecus; quia sine illo, non item sine isto, Missa fieri potest. Ratio conclusionis est; quia cùm labor primi generis, qui in se est quid merè temporale, & per se pretio æstimabile, per accidens tantum & ab extrinseco opere spirituali sit conjunctus, non perdit per istam conjunctionem, æstimationem & valorem suum, econtra verò labor intrinsecus, quia ab ipsa actione sacra non distinguitur, sed unum opus componit, totus sacer est, & tanquam sacer tractari debet; consequenter nullatenus pro hoc, benè tamen pro illo priori extrinseco labore, pretium temporale absque Simonia exigi potest. Unde de labore intrinseco intelligendum est illud. c. si quis objicerit. i. q. 3. mandamus quatenus pro Ministerio Ecclesiastico exercendo nullatenus pecunia exigatur. Huc reducuntur omnes actiones jurisdictionis spiritualis, ita ut pro his & aliis intrinsecis laboribus, exigi temporale nequeat, nisi alias titulus honestæ sustentationis v. g. vel consuetudinis laudabilis adsit. Ex quibus-

18. Colligitur, Simoniam non committi ab eo, qui plus pro Missa exigit, quam dari solet, quia cùm incommoditate sua obligatus est ad certum tempus, vel ad locum distans, vel etiam juxta Bonacinam cit. n. 7. quia alta voce cantat Missam. Idem est de aliis functionibus spirituibus,

libus, administratione Sacramentorum v. g. quæ cum simili labore extrinseco, incommodeitate, lucro cessante, vel damno emergente fieri debent: dummodo plus non exigatur, quam talis labore extrinsecus, vel incommoditas à parte rei juxta prudentem estimationem valet; secus enim haud dubiè Simonia committeretur: cum jam non pro temporali, sed spirituali excedens illud daretur.

19. Dixi in conclusione, & aliounde non debitum; si enim aliquis ad laborem illum extrinsecum spiritualibus conjunctum peragendum, vel incommoditatem illam sustinendam aliunde, v. g. vi officij, pro quo sufficiens ad sustentationem habet salarium, tenetur, nequaquam pro illo absque Simoniæ labe aliquid exigere valet: Sic v. g. Parochus vel Capellanus nil exigere potest pro itinere, aut incommodeitate, quam sustinet, dum Sacra menta portat ad Parochianum unâ horâ v. g. distantem: nec plus solito pro Missa, quam vi officij in filiali longè distante celebrare debet; nisi forsitan consuetudo alicubi aliter se haberet. Prout communiter advertunt DD.

20. Concl. 5. Ignorantia invincibilis excusat à peccato Simoniæ. Conclusio est certa. Ratio est; quia ignorantia à quovis alio, consequenter etiam à peccato Simoniæ excusat; si est invincibilis; nam si vincibilis crassa, suppina, vel

vel affectata est , conclusio locum non habet . Quando autem in casu particulari ignorantiam invincibilem quis revera habeat , cuiusvis conscientiae relinquitur . Illi , quod sibi justè timeant , certè habent , qui etsi de Simonia vel ipsimet legant , vel ab aliis rem intelligentibus audiant , tamen parùm curando rident & contemnunt , nollentes intelligere , ut bene agant ; hos enim , si non alius , titulus ignorantiae à Simonia planè non excusat . Cœterum ignorantiae titulus utique non tam facile in Clericis quam Laicis adesse potest ; quamvis & hi , si temporale pro spirituali dare aut accipere aperte non audent , sed pro possibili abscondunt , mali consciens se esse satis demonstrant .

21. *Dixi in conclusione , à peccato Simonie : nam utrum ignorantia invincibilis excuset etiam à pænis Simoniae , dicemus infra , q. 3. n. 4. Et seqq. item , & quidem amplius , q. 5.*

Q U Ä S T I O II.

An ē quando redemptio vexationis excuset à Simonia.

22. *N*otandum prius , vexationem aliam esse justam aliam injustam , item aliam esse , quæ sit ab eo , qui de jure obesse & prodesse potest : aliam ab eo , qui solùm obesse , non verò de jure

jure prodesse potest, rursus aliquos vexari in jure ad rem, uti sunt electi nondum confirmati, praesentati non instituti, alios vero in jure, quod habent in re, quales essent, qui post obtentam, jam confirmationem, collationem, vel institutionem vexarentur in aquirenda possessione. De omnibus procedit quæstio.

23. Concl. 1. Non est Simonia dare temporale ad redimendam vexationem injustam, quam quis patitur in jure jam quæsito, sive quod habet in re, à quocunque dein hæc vexatio proveniat. Ita communis TT. & Canonistarum, nominatim sunt. *Reginaldus lib. 23. q. 3. n. 124.* *Filiuvius Tr. 45. c. 11. n. 1.* *Castro Palao de Simonia puncto. 20. n. 1.* *Pirh. de Simonia. sect. 4. §. 6. n. 105. desumitur. exc. dilectus: de Simonia.* Et ratio est; quia qui dat temporale pro redimenda vexatione injusta in jure, quod jam habet, non dat pro spirituali aquirendo, utpote, quod jam habere supponitur, sed pro tollenda injuria, quæ est quid temporale. Ex qua conclusione

24. Colligitur, Simoniām non committi in sequentibus. 1. Dare pecuniam alicui, qui beneficio, quod quis jam possidet, injustè, privare nititur per injustam accusationem, diffamationem; &c. quasi Beneficiarius esset Irregularis, Simoniacus, aut alij vitio subiectus, quod de jure beneficio privat. 2. Si confirmatus jam, seu institutus in beneficio dat pecuniam cuicunque,

que, ne à possessione capienda injustè impedia-
tur; imò etsi det illi, cuius aliàs est in possesso-
nem mittere; quamvis enim Sotus cum aliis
contrarium teneat, dicens, dare alicui, ne dene-
get possessionem, esse dare, ut det possessionem,
hoc autem est Simoniacum, cùm possessio sit quid
spirituale, pro quo temporale dari absq; Simonia
non potest; Nihilominus sententia communis
est in contrarium, juxta quam dicendum, pos-
sessionem actualem non esse quid spirituale, sed
temporale, unde & negatur suppositum argu-
menti à Soto relati.

25. Concl. 2. Simoniam committit, qui-
cunque dat, vel promittit temporale ad amoven-
dam vexationem etiam injustam in jure, quod
nondum quæsitum habet in beneficio, si vexat-
talis, qui de jure obesse & prodesse potest, id est,
qui de jure beneficium aliquo modo dare potest,
quales sunt, eligentes, confirmantes, conferen-
tes. *Lessius lib. 35. dub. 18. n. 106. Palao cit. n.*
4. *Pirh. cit. n. 109.* & communis aliorum collî-
gitur apertè. ex. c. *sicut tuis. 33. de Simonia:* ubi
Episcopus negans injustè confirmationem ritè
electo, ut pecuniam extorqueret, Simoniacus
censetur, sicut & illi, qui pecuniam pro redi-
menda hac vexatione dederunt. Patet etiam
conclusio ex. c. *Matthæus. 23. de Simonia.* Ra-
tio est; quia qui dat temporale alicui, ne institu-
tionem, votum, vel confirmationem deneget,

hoc ipso temporale porrigit, ut alter det spirituale: siquidem negatio voti vel confirmationis non tollitur, nisi actuali datione, consequenter Simoniam committit. Ex quo

26. Colligitur Simoniacos esse. 1. Electos quoscunque, qui dant temporale habenti jus confirmandi, ne injustè confirmationem denegent. 2. Præsentatos, si dant pecuniam, ne eisdem collatio beneficij injustè denegetur. 3. Eligendos dignos, qui dant eligentibus, ne sibi vota injustè denegent. &c.

27. Observat tamen Bonacina cit. n. 4. cum Laym. lib. 4. Tr. 10. c. ult. §. 2. n. 22. Non esse Simoniam juris divini sed humani duntaxat, quia temporale non tam pro beneficio spirituali, quam pro removenda injusta vexatione dari censetur: unde & à Simonia juris divini, quin & humani immunem esse communiter afferunt. Doctores cum, qui injustè neganti Sacramenta, vel absolutionem à censuris in necessitate pecuniam dat, ut injustè negare desistat, & actualiter det. Cur autem in provisionibus beneficialibus, non item in aliis actibus spiritualibus Simoniasit, injustè neganti pecuniam offerre, ut det, ratio est; quia in illis non item in istis jura Simoniam esse declarant, arg. c. sicut tuis. 33. de Simonia item. c. Mathæus 23. de Simonia.

28. Dixi in conclusione: Si vexat talis, qui de jure obesse, & prodesse potest; quales sunt eligentes,

entes, confirmantes, conferentes, &c. Nam sive sat, qui tantum obesse, non autem de jure professe potest, & injustè vexando à beneficio, vel confirmatione aquirenda quempiam impedire conatur, hujusmodi vexationem redimi omnino posse oblatione, seu promissione rei temporalis, cum communi aliorum præcitatí fatentur. Authores *Lessius* quidem. n. 108. *Palao* cit. n. 4. *Fillinius* Tr. 45. c. 11. n. 7. *Laym.* cit. Ratio est; quia talibus nullatenus datur temporale pro spirituali, sed revera, ut injusta impedimenta non ponat, quod cuivis licet; cum quivis habeat ius quæsitum in sua libertate & fama, omnémque injuriam ab ea repellere possit. Ex quo rursus

29. Colligitur, si Titius de jure professe non valens, Caium apud confirmantem, eligentem, præsentantem, conferentem &c. infamet, eique detrahat, injustaque denigratione eundem à beneficio impedire intendat & satagat, vel ex passione, vel, ut eo rejecto alias ad beneficium promoveatur, potest haud dubiè absque Simoniæ labe Titio pecuniam dare, vel promittere. Caius, ut injustam hanc vexationem omittat, vel à jam concepta desistat. Pariter pecuniam dare licet illi, qui injustè aliquem detinet, ut ad concursum, vel collatorem, aut præsentatorem beneficij venire nequeat. Quinimo ulterius addunt citati Authores, licere tibi temporale quid dare alicui, ne precibus vel muneribus animum.

elgentis conferentis, præsentantis &c. à te aver-
tat; quamvis enim talis contra te rogans non
inferat tibi damnum contra justitiam, grave ta-
men absque causa damnum inferet contra cha-
ritatem, quod utique mediante temporali aver-
tere vel præcavere licet

30. Concl, 3. Semper Simoniam committit, qui
dat vel promittit temporale alicui cuicunq; tan-
dem, ut non incipiat vexationem justam, vel ab
incepta desistat in beneficio sive acquirendo sive
aquisito. Reginaldus dicens in hoc omnes cōsen-
tire, nominatim sunt *Lessius* cit. n. 107. *Bonacini* cit.
n. 3. *Palao* cit. n. 2. *Laym* cit. n. 22. *desumitur ex juri
ex parte ex jure c. Math 23. de Simon.* Ratio est; quia
quando cunque quis justè in beneficio acquiren-
do, vel jam aquisito impugnatur; hoc ipso jus
illud, quod jam habet, infirmum redditur, con-
sequenter, si ad talem impugnationem amoven-
dam, vel impediendam, temporale quis offert,
jus firmius & certius efficitur, sicque mediante
temporali via ad obtainendum jus firmum spi-
rituale paratur. Hinc pro praxi

31. Colligitur, Simoniam committi. 1. Si
duobus de aliquo beneficio litigioso contenden-
tibus unus det alteri temporale, ut à lite desistat,
2. Si datur alicui temporale, ne electionem im-
pugnet, quam de jure impugnare potest. 3. Si
offertur alicui temporale, ne alterius defectum
vel impedimentum Canonicum revelet. 4. Qui
dat

qui dat pecuniam, ne privetur beneficio, quo justè privari potest.

Verumtamen potest authoritate Episcopi, si duo litigant de beneficio, fieri pactum, vi cuius uni beneficium alteri verò assignetur annua pen-sio, non tantùm ad vitam retinentis beneficium, prout vult *Garcias de benef. pr. I. c. 4. n. 334. arg. c. nisi de præbendis, sed etiam ad vitam ipsius pensionarij docet Castro Palao cum pluribus à se citatis desumpto arg. ex. c. decætero de transactio-nibus.*

Quæres an non saltem unus litigantium pos-fit alteri dare vel promittere beneficium suum, quod pacificè possidet, ad hoc, ut alter beneficio litigioso cedat? Respondetur. Simoniacum fore, si authoritate privata fieret. *Palao punct. 15. n. 6 punct. 19. n. 1. & 2.* Secus est, si authoritate legitimè superioris, qualis hîc est solus Papa, fit

QUÆSTIO III.

De pœnis Simoniae.

32. **T**riplex potissimum reperitur in jure ge-nus pœnæ contra Simoniacos, videlicet.
1. Excommunicatio & aliæ censuræ. **2.** Nulli-tas actûs Simoniacè facti, & inhabilitas ad eun-dem, ac similes. **3.** Onus restituendi Simoniacè accepta. De primis duabus, qualem Simoniam,

quando & quomodo affiant, in præsenti, de ter-
tia in sequenti agemus quæstione. Ut autem cer-
ta ab incertis separentur.

33. Tanquam certum cum communī DD.
supponitur primò, nullam juris pœnam incurri
propter Simoniam purè mentalem : Ratio est ;
quia nulla statuta invenitur in jure : imò contra-
rium expressè declaratur, c. mandato, ult. de Si-
monia : ibi in quo casu (Simoniæ mentalis) de-
linquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo fa-
tis facere creatori.

34. Tanquam certum cum communī suppo-
nitur secundò, etiam propter Simoniam purè
Conventionalē, (excepta confidentiali) id est,
quando sola conventio & pactum Simoniacum
factum, ex neutra tamen parte aliquid traditum
est, nullam ipso jure incurri pœnam. Ratio est ;
quia jura pœnas Simoniæ statuentia non loquun-
tur de solis pactis Simoniacis, sed expressè requi-
runt dationes, vel receptiones ex his pactis pro-
venientes : Uti videre est in omnibus penè Capi-
tulis de hac materia tractantibus. v. g. in. c. non
satis. 8. c. Simoniace. 22. de Simonia. &c. Imò
teste Suarez lib. 4. de Simonia. c. 56. n. 16. Om-
nes tenent DD. ipso jure nullam incurri pœnam
Simoniæ, etiamsi vi pacti temporale jam sit tra-
ditum pro re spirituali, dummodo hæc non sit
tradita nec tradatur. Ratio est ; quia malitia
Simoniæ potissimum consistit in Sacrilega irre-
veren-

verentia, quæ infertur rei sacræ, dum venditur: quæ irreverentia, donec actualiter tradatur res sacra, inchoata quidem, sed nondum perfecta & completa est, pro qua tamen sola pœnas statuant jura.

35. Hinc, si quis alicui actualiter dat quid temporale hac conditione, vel saltem motivo, ut alter econtra det vel procuret spirituale v. g. beneficium, nullus eorum aliquas pœnas ipso jure incurrit; si beneficium actualiter non datur vel procuratur; uti contingere potest, si procurans suo conatu, & recommendatione nihil efficit. Utrum autem pœnæ ipso jure contrahantur, si ipsa res spiritualis est tradita, & temporalis solum promissa? pro & contra disputant DD. ita ut sententia utraque probabilis sit, prout videre est apud *Lessum cit. dub. 27. n. 149. Pirh. de Simonia. scđt. 7. n. 153.* His suppositis in præsentī examinabitur, ob quas Simonias statutæ sint ipso jure pœnæ, & quænam pro quavis in specie? Ponitur itaque

36. Concl. 1. Propter nullam Simoniam, aliqua juris pœna incurritur ipso facto, excepta illa, quæ committitur in ordinum susceptione Religionis ingressu, & beneficiis Ecclesiasticis. Ita *Less. lib. 2. c. 35. dub. 23. n. 120. Castro Palao de Simonia disp. 3. punct. 2. n. 2. Sylvester. y. Simonia. Fillucius Tr. 45. c. 13. n. 2. Laym. cit. n. 69.* & communis aliorum. Ratio est, quia nec

nova nec antiqua jura poenam ipso facto incur-
rendam statuunt propter Simoniam , exceptâ ea,
quæ committitur in ordinum susceptione , Reli-
gionis ingressu , ac beneficiis Ecclesiasticis , con-
sequenter , eam utpote materiam odiosam exten-
dere non debemus :

37. Dices extrav. 2. de Simonia renovantur
& confirmantur omnes poenæ in antiquioribus
Canonibus latæ cujusvis Simoniæ , eásque in-
curri , statuitur ipso facto ; atqui in antiquis Ca-
nonibus non tantum pro tribus nominatis , sed
etiam pro aliis Simoniis poenæ erant statutæ ergo .
Respondetur 1. dictam extravagantem , et si in-
telligenda esset in sensu objectionis (quod plures
negant , aliter eam interpretantes) nobis minimè
obesse , quia per consuetudinem contrariam in-
hoc passu abrogata foret : ut bene obseruat *Filli-
ucius cit.* Ex hac conclusione .

38. Colligitur , committentes Simoniam in
administrandis Sacramentis , in consecrationibus ,
benedictionibus , dispensationibus , delegationi-
bus , & jurisdictionibus concedendis , licet gra-
vissimè peccetur , nullam tamen ipso facto con-
trahi juris poenam . Verùm , an non saltem resti-
tuere teneantur Simoniacè accepta dicemus in-
fra q. seqq.

39. Concl. 2. Propter Simoniam realem
commissam in beneficiis Ecclesiasticis ipso facto
tres sequentes præcipue incurruunt poenæ , sub
gravi

gravi culpa ante omnem sententiam judicis subeundæ. I. Est Excomunicatio, cui subjacent omnes, qui beneficium quomodo cunque directè vel indirectè alicui conferunt vel procurant; uti sunt eligentes, præsentantes, postulantes, nominantes, &c. Item procurantes, commendantes, & mediatores, quales sæpè sunt amici, parentes, & uno verbo omnes illi, qui suam operam interponunt, ut beneficium Simoniacè obtineatur. Rursus, & præcipue ipsimet beneficium sibi Simoniacè procurantes, aut dum ab aliis procurantur, scienter permittentes, & recipientes. Ita Castro Palao cit. punct. 25. n. 2. Lessius cit. dub. 25. March. Tom. 3. Tr. 10. Tit. 7. q. 3. cum communi omnium, habeturque expresse in extrav. cum detestabile de Simonia.

40. Secunda pœna est, quod omnis collatio vel alia provisio, & acceptatio beneficij Simoniacè facta, ipso facto sit nulla, nullumque justribuat recipienti, sed is beneficium, fructusque inde perceptos restituere sub gravi culpa debeat. Ita rursus communis & certa; quia ita clare habetur decisum in præcitata extrav. cum detestabile, ubi statuitur, ut electiones, præsentationes, collationes & aliae provisiones beneficiorum per Simoniam realem factæ sint irritæ, & nullum justribuant, & ut provisi, fructus non faciant suos, sed sub periculo animæ ad eorum restitutionem teneantur. Cui pœnæ subjacent etiam illi, qui quidem

per se Simoniacè sibi beneficium non procurant, sciunt tamen & non contradicunt, quod pro illis alij beneficium Simoniacè procurent, *Less. cit. Palao cit. Herin. &c. arg. c. sicut jus. 33. de Simonia.* Item etiam illi, qui sciunt & contradicunt quidem, nihilominus, beneficium ab aliis Simoniacè procuratum scienter accipiunt.

41. Rursus hanc pœnam ipso jure incurruunt etiam illi, quibus ignorantibus ab aliquo tertio beneficium Simoniacè procuratum est; hi enim quamvis non peccarint, tamen quamprimum resciunt, beneficium esse Simoniacè saltem ab aliis procuratum, immediate beneficium dimittere, & fructus perceptos restituere debent etiam ante omnem judicis sententiam ita. *Pirh. de Simonia sect. 4. §. 4. n. 97. Castro Palao de Simonia disp. 3. puncto. 25. n. 3. cum communī aliorum; quia ita clare habetur statutum. c. ex insinuatione. 26. item. c. nobis. 27. de Simonia. nec obstat quod in citato. c. nobis: dicatur electionem ignorante, electo Simoniace factam penitus esse reprobandam, quibus verbis indicari videtur, collationem beneficij ignorante beneficiario ab aliis Simoniacè factam, ipso jure non esse irritam, sed primū per judicem irritandam. Contra enim est, quod, uti bene observant citati AA, in c. nobis ideo dicatur electio reprobanda; quia jam est de jure nulla. Accedit, extrav. cum detestabile de Simonia, ubi absolute & indistincte omnes omnino pro-*

visiones beneficiorum Simoniacè factæ , irritæ & nullæ declarantur. Verùm , quia aliqui saltem speciales dantur casus , in quibus beneficia ignorante beneficiario Simoniacè collata , irrita non sunt , ideo adjungo compendiosam Doctrinam Generalem , ex qua cognosci facile potest , quando hujusmodi provisio ignorante beneficiario Simoniacè facta , valida vel invalida sit.

42. Notandæ ergo sequentes regulæ . 1. Si alicui penitus & inculpabiliter ignorantia ab aliis beneficium Simoniacè procuratum est in ejusdem odium v. g. ut inde inhabilis redderetur ad idem beneficium , nullatenus irrita , sed valida est collatio. Ita expressè statuitur . c. nobis fuit . 27. de Simonia . 2. Si alicui prorsus ignaro beneficium Simoniacè procuratur in ejusdem favorem , prout contingere solet , si procurant parentes , consanguinei , amici , provisio beneficij nulla est , debetque illud beneficiarius una cum fructibus perceptis extantibus restituere ante omnem judicis sententiam ut patet ex . n. præc . Notat tamen Castro Palao cit . cum Lessio lib . 2. c . 35. dub . 25. n. 40. Suarezio . & aliis , hujusmodi ignorantem gaudere regula possessionis triennalis taliter , quod , si per triennium tale beneficium bona fide possidet , nihil sciens de Simonia ab aliis commissa , possit licet & validè tale beneficium retinere . Secus esset , si intra triennium rescit , beneficium sibi ab aliis Simoniacè fuisse impetratum ;

tratum ; tunc enim illud dimittere tenetur. Ceterum aliis Simoniacis , qui vel ipsimet beneficium Simoniace procurant , vel ab aliis procurari sciunt , & non contradicunt , vel si contradicunt , tamen beneficium Simoniace procuratum scienter accipiunt , nullatenus prodest triennalis beneficij Simoniaca possessio , sed ante ullam judicis sententiam illud dimittere debent , et si per triginta vel plures annos possedissent : prout habetur in regul: cancellariæ. Tertia regula : si quis scit à tertio sibi beneficium Simoniace procurari , & contradicit , ignorans , quod non obstante ejusdem contradictione tertius ille Simoniace procurare perrexerit , licet & validè beneficium recipit & retinet . Ita statuitur. c. sicut tuis litteris. 33. de Simonia. Secundus est , si scivit , quod non obstante ejusdem contradictione beneficium Simoniace sit procuratum ; tunc enim si accipit beneficium , invalida est collatio ipséque restituere debet.

43. Tertia poena est inhabilitas perpetua ad idem beneficium & alia aquirenda , id est , is , qui vel semel beneficium aliquod Simoniace accipit , non tantum illo privatus est facto , juxta dicta . n. 40. & 41. sed etiam exinde perpetuo ita inhabilis redditur , ut nec illud , nec aliud beneficium amplius aquirere valeat ; nisi dispensetur cum ipso . Ita expressè statuit Pius V. in Bulla incipiente , cùm primùm , estque ordine quinta inter

int̄r constitutiones dicti Pontificis. Ibi: qui beneficium aut officium Ecclesiasticum Simoniacè adeptus fuerit, illis similiter ipso jure sit privatus, & ad fructum omnium, quos perceperit, restitutionem tenetur, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda.

44. Verūm notat ex *Navarro consil. 92. de Simonia, Castro Palao D. 3. de Simonia pun. 25. n. 7. Pirb. de Simonia, sect. 7. §. 4. n. 3.* Bullam in illo, quo statuit inhabilitatem etiam ad alia beneficia, cum tanto rigore usu non esse receptam, nec ante judicis sententiam obligare. Hinc juxta hos AA. licet quis beneficio, quod Simoniacè accipit, ipso jure sit privatus, ipsoque factō ad illud perpetuò sit inhabilis, possit tamen tuta conscientia ante judicis sententiam alia beneficia, justo aquirere titulo. Idem sentiunt *Less cit. dub. 26. Suarez, & Sanchez.* His additur.

45. Quarta pœna, quæ est privatio beneficiorum prius etiam ritè obtentorum: hæc tamen pœna locum non habet ante sententiam judicis, prout benè observat *Castro Palao cit. n. 4. Suarez, Less. Sanch. cum communi. arg. c. presbyter. 3. caus. 1. q. 1.* Ratio est; quia nullibi in jure reperitur lex pœnam hanc ipso factō imponens, consequenter, cùm res sit odiosa, eam magis restringere quam ampliare oportet.

46. Concl. 3. Dictas pœnas inducit omnis Simonia realis in beneficio commissa, sive sit manifesta

nifesta sive occulta, sive juris humani, sive divini. Prima pars, quod nempè Simonia tam occulta quam manifesta poenas supradictas inducat, est communis omnium; quia ita expressè habetur in extrav. cum detestabile de Simonia. Ubi poenas statuens tam manifestum quam occultum Simoniacum expressè includit. Accedit c. Matthæus de Simonia. Secundam partem videlicet, quod etiam Simonia juris humani dictis poenis subjaceat, Tenet Abbas in c. cum universorum. n. 6. de rerum permis. Layman. c. ult. de Simonia. n. 66. Pirb. de Simonia. scđt. 7. §. 1. n. 155. Tanner. Suarez cum communiori aliorum arg. c. quæsitum desumitur etiam ex citata extrav. quæ antiquas juris poenas renovans, & novas statuens utramque Simoniam, tam juris humani, quam divini comprehendit, uti patet ex illis verbis: *Cum detestabile scelus Simonie tam divinorum,* quam SS. Canonum authoritas damnet & reprobat.

47. Quær. quidnam speciale sit in Simonia confidentiali? Rg. Simoniam confidentialem hoc habere speciale. I. Quod supradictas juris poenas inducat, etiam si pactum ex utraque parte nondum adimpletum, & consequenter Simonia perfectè realis non sit, sed tantum conventionalis mixta, v. g. sufficiet ad juris poenas ipso facto incurendas, si hac conditione resignetur beneficium, & ab altero acceptetur, ut suo tempore denuò

denud resignetur vel prius resignanti, vel ejus consanguineo, vel saltē certa pars fructuum singulis annis tradatur, sufficit inquam, etiamsi beneficium accipiens reciprocā resignatione, vel traditione partis fructuum, ex parte sua pactum & conditionem nondum adimpleverit, nec impleturus sit in futurum. 2. Quod provisio beneficij per Simoniam confidentialem acquisiti reservetur summo Pontifici. Ita clarè habetur in Bulla Pij IV. & V. cit. supra Disp. I. q. 5. n. 76.

48. Concl. 4. Pœnæ Simoniae in Religionis ingressu commissæ, potissimum sunt tres sequentes. 1. Est excommunicatio tam dantium quam recipientium (si sunt personæ singulares) aliquid temporale pro Religionis ingressu. 2. Est suspensio capituli sive conventus, si consenserit in hanc Simoniacam receptionem. 3. Simoniacè ingressi debent ab hoc in aliud arctius Monasterium detрудi. Ita clarè habetur, in extrav. sive I. de Simonia, ut probatione ulteriori conclusio non indigeat. Nihilominus circa has pœnas

49. Notan. 1. Tertiam pœnam non incurri ante sententiam judicis. Lessius. cit. dubit. 23. n. 37. Castro. Palao de Simonia. Punct. 23. n. 1.

50. Notan. 2. Quod licet Simonia committatur jam per ipsum ingressum ad novitatum, dictæ tamen juris pœnæ non incurvantur, nisi

nisi secuta Professione. *Pirh. de Simonia. sect. 3, n. 71. Castro Palao. l. cit. n. 3.*

51. Notan. 3. A prædictis pœnis excusari Moniales juxta dicta superius. *disp. 2, q. 6, n. 61. & seqq.* ubi etiam ex Merchantio & Navarro citante communem Ecclesiæ sensam notavimus, quod etsi à Simonia ejusque pœnis, non tamen semper à scandalo & avaritia immunes sint Moniales, si abundante divitijs Monasterio titulo honestæ sustentationis ab ingredientibus aliqua exigunt, vel desuper cum eis paciscuntur, quod si tamen de dote ingredientis cum parentibus vel consanguineis ita paciscantur moniales, ut tam noviter recepta, quam Moniales recipientes vi pacti renuntiare debeant omni futuræ hæreditati, uti contingere nonnunquam solet, & Simoniae, & avaritiæ labi carebunt; Simoniae quidem, quia cum jus illud, cui renuntiant, sit prætio æstimabile post Professio nem ad Monasterium pertinens, utique pro illo exigere temporale possunt: Avaritiæ vero; quia nemo censi debet avarus, quod sub onere & non gratis remittat vel donet, quod justè retinere potest.

* + *

• S [X] S •

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Restitutione Simoniace acceptorum.

Questio præsens principaliter procedit de Restitutione temporalium pro spiritualibus Simoniacè acceptorum : nam de spiritualibus Simoniacè acceptis nulla est controversia inter DD. utpote qui teste *Castro Palao de Simonia*, puncto 26. n. 1. *Lessio cit. dub.* 29. *Bonacina de Simonia*. q. 7. secunda difficultate. 1. n. 1. unanimiter docent, quod nec jure divino, nec Ecclesiastico aliqua spiritualia Simoniacè accepta ante sententiam judicis restitui debeant, exceptis beneficiis.

§ 3. Nec obstat, si dicitur, qui accipit temporale pro spirituali, restituere debet, ergo etiam, qui accipit spirituale pro temporali. Rz. Enim cum Bonacina. lib. cit. n 2. negando consequentiam & paritatem. Disparitas est; quia, qui accipit temporale pro spirituali, facit tradenti injuriam: cum nullum justum titulum illud exigendi vel accipiendi habens, spirituale gratis dare deberet, juxta Mandatum Domini Mathæi 10,
Gratis accepistis, gratis date: unde sicut dispensator Eleemosynæ ex Domini Mandato Eleemosynam gratis distribuere jussus, pauperi facit in-

juriam, & ad restitutionem tenetur, si pro Eleemosyna tradita exigit, vel vi contractus accipit pecuniam, ita ad restitutionem tenetur, qui pro spiritualibus, quae tanquam dispensator juxta Domini praeceptum gratis distribuere debet, temporale exigit. Econtra vero, qui spirituale accipit, tradenti non facit injuriam, utpote qui alias gratis conferre debuisset. Et licet Simoniacè illud accipiendo peccatum commiserit, nullus tamen titulus adest ad restitutionem illum obligans.

54. Nec dicas, contractum, quo spirituale Simoniacè aquisitum est, esse nullum *arg. c. fin. de pactis, &c. præterea de transactionibus*, ergo spirituale restituи debet.

Respondetur enim; dato non concessio ante negando conseq. quia etsi vi contractus Simoniaci aquisitum spirituale quis retinere non posset, potest tamen sine ullius injuria ex alio titulo illud retinere; quia nempè Deus vult illud gratis dari & retineri.

55. Dixi *exceptis beneficiis*; haec enim ante omnem sententiam judicis unà cum fructibus inde perceptis restituи debere, si per Simoniam realem quantumvis occultam aquisita sunt, pariter omnes tenent DD. & jam supra. q. præced. n. 39. & seqq. ex communi DD. & extrav. cum detestabile de Simonia, abunde demonstravimus.

56. Restat ergo principaliter agendum de
Resti-

Restitutione pretij temporalis Simoniacè accepti. De quo tria potissimum examinabimus 1. pro quonam spirituali acceptum temporale restituī debeat ? 2. quinam restituere teneantur ? 3. cuinam restitutio sit facienda ?

57. Concl. 1. Quicunque Simoniacè accepit temporalia propter beneficium Ecclesiasticum quodcunque, tenetur illa sub peccato mortali (si est materia gravis) restituere ante omnem judicis sententiam saltem de jure Ecclesiastico. Ita certa & communis omnium signanter tenent. *D Thomas 2.2. q. 100. A. 6. in corp. Castro Palao de Simonia punct. 26. n. 4. Less. loc. cit. dub. 30. n. 169. Bonacina de Simonia. q. 7. punto 3. difficultate. 1. n. 7. Fillius Tr. 45. c. 13. n. 28. Suarez. Layman. &c. arg. c. de hoc. 11. de Simonia. ibi: Reges, & Principes ejus debes indudere, ut si quae receperint à prefato Episcopo, ut ejus Electioni præstarent assensum, Ecclesia Oxoniensi sine diminutione restituant; cum ea sine gravi salutis periculo retinere non possint.* Ex quo ita argumentantur DD. quod quis sine gravi salutis periculo retinere non potest, illud ante omnem judicis sententiam restituere debet; atqui juxta cit. c. accepta propter beneficium retinere sine salutis periculo quis non potest, ergo.

58. *Dixi saltem de jure Ecclesiastico, quod enim etiam ex jure divino oriatur hæc obligatio restituendi, communior est DD. opinio, aperte-*

que demonstrat sequens ratio , & confirmatio,
Ratio quidem, quia qui accipiendo temporale
peccat contra justitiam, de jure divino ad resti-
tutionem tenetur ante omnem judicis sententi-
am ; atqui accipientes temporalia pro beneficiis
Ecclesiasticis peccant contra justitiam, ergo. maj.
est certa; min. probatur: qui ratione muneris aut
officij sui aliis quomodo cunque beneficia dant,
non sunt domini beneficiorum, sed meri dispen-
satores à Domino *Mathæi. 10.* graviter obligati,
ut gratis dent, ergo si contra voluntatem Domini
sub onere sive pro pretio temporali dant, injuriam
faciunt & Domino , & illi , cui dant , consequen-
ter contra justitiam peccant, sicque ad restitutio-
nem tenentur, sicut tenetur dispensator aliquis
Eleemosynæ, si pro distributione ejusdem ab ac-
cipientibus pauperibus pretium exigit, & acci-
pit. Confirmatur & quidem firmissime ex de-
creto *Alexandri VII. edito. 1665.* 2. Octobris
damnante opinionem contrariam sic sonantem :
non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non
conferre gratis ; quia collator conferens illa bene-
ficia Ecclesiastica pecunia interveniente non exigit
illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolu-
miento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.
Per quod præcluditur etiam evasio illorum, qui di-
cunt: est in mea libertate beneficium, Canonicatū
v. g. dare huic, vel illi, ergo si præ isto illi con-
fero, hoc est pretio æstimabile , justèque exinde
tem-

temporale exigere possum. Nam contra clamat decretum, & meritò; quia licet in tua potestate sit, beneficium conferre huic vel illi pro tuo libitu, neutiquam tamen est in potestate tua, alicui dare pro temporali, sed teneris gratis dare ; cuicunque tandem dare velis: sicut à pari, quamvis subinde in potestate Dispensatoris Eleemosynæ sit, huic vel illi pauperi Eleemosinam dare, nequam tamen in ejusdem potestate est, huic præ alio dare Eleemosinam pro pretio temporali. Ex quo.

59. Sequitur, quod omnes conferentes beneficium, nominantes, præsentantes, confirmantes, &c. ad illud, nec non & eligentes, sub peccato mortali, & gravi animæ periculo ante omnem judicis sententiam restituere teneantur omnia illa temporalia, quæ pro collatione, nominatione, vel voto Simoniacè acceperunt, quantumvis res lateat & occulta sit. Examinent aliqui conscientiam suam, dictæque obligationi (quæ risu & contemptu certe non deletur) satisfacere studeant; secus enim & in continuo statu disgratiæ permanebunt, pœnisque æternis subjacebunt, nisi titulum à restitutione excusantem habeant, de quo. q. sequenti.

60. Concl. 2. Non tantum, n. præced. nominati, sed etiam mediatores Simoniæ commissæ in beneficio, (quales potissimum sunt, qui temporalia, hac conditione accipiunt, ut per preces

& commendationes aliósque similes modos alteri beneficium procurent, aut ad illud juvent) ante omnem judicis sententiam tenentur restituere illud, quod à beneficiario Simoniacè acceperunt.
Azorius. p. 3. lib. 12. c. 24. q. 3. Bonacina de Simonia. q. 7. punct. 3. difficultate. 2. n. 6. item difficultate prima. n. 17. Fillius Tr. 45. c. 13. n. 31. Abbas Hostiensis, & alij communiter. Probatur ex. c. de hoc, de Simonia, ubi Reges & Principes, qui nec contulerunt, restituere tenentur accepta temporalia ob solum præstitum assensum. Electioni Episcopi. Ratio est; quia, ut voluntati Authores, omne acceptum temporale pro actione principaliter ordinata ad beneficij acquisitionem, restitui debet; nam quamvis in se talis actio subinde quid merè temporale sit, tamen hoc ipso, quia principaliter ad spirituale obtinendum ordinatur, indirectè spirituale evadit, ita ut Simonia sit, pro ea per tacitum vel expressum pactum dare quid temporale, prout supra. D. 2. q. 5. n. 51. & 52. dictum est.

51. Videan ergo, qui apud diligentem, collatorem, præsentatorem confirmantem, &c. sunt potentes officiales, vel familiares, &c. quid conscientia dicat de præteritis, & si accipiendo temporalia, ut per preces recommendationes, aliósve similes modos ad beneficium juvent, illud ve procurent, reos se inveniunt, temporalia accepta restituere non omittant, nisi æterna amittere ve-
 lint;

lint: caveantque in futurum, quia res nunquam caret periculo, quod nec risu, nec contemptu, ut dictum jam est, nec ignorantia affectata vel crassa declinabunt, neque Deus decipitur, etsi ad tempus pœnæ legesque hominum eludantur. *Panormitanus* certe de similibus loquens in c. de hoc, de Simonia n. 6. dicere audet, multi tales sunt hodie in orbe, de quorum salute diffidendum est: cùm deceendant in tali peccato; nam peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. Considerent, qui salutem suam amant,

62. Addunt Bonaçina, & Azorius citati: tales mediatores & procuratores beneficiorum teneri restituere non tantum premium Simoniacè acceptum, sed etiam fructus beneficij perceptos ab illo, cui beneficium procurarunt, si iste restituere vel non vult, vel non potest: Rationem dant; quia universaliter ad restitutionem tenentur cooperatores damni, quando causa principalis restituere vel non vult, vel non potest.

63. Concl. 3. Qui temporalia Simoniacè accipiunt, collatione beneficij secutâ, restituere debent, non illi, qui dedit, sed Ecclesiae, in qua beneficium est; nisi temporale dans bona fide dedisset, vel esset ipse met pauper. Ita cum communi D. Th. 22. q. 100. A. 3 ad 4. Abbas. in c. de hoc, de Simonia. n. 11. Lessius cit. dub. 31. n. 71. Castro Palao, de Simonia pun. 26. n. 6. Pir. sect. 8. n. 182. Herin. Q. c. de Simonia. q. 5. n. 48. Ratio

est; quia Ecclesia punire vult tam Simoniacè dannatum, quam accipientem pro spirituali temporale
arg. cit. c. de hoc. Ubi Reges & Principes jubenter Simoniacè accepta temporalia restituere Ecclesiæ Oxoniensi, in qua beneficium erat.

64. Observant tamen aliqui DD. ut *Herinx. l. cit. & Castro Palao*, illum, qui temporalia intuitu beneficij Ecclesiastici Simoniacè accipit, satisfacere suæ obligationi, et si accepta temporalia non restituat Ecclesiæ, dummodò applicet ad alios pios usus: v. g. pauperibus ergando, præsertim ubi consuetudo est, similia non Ecclesiæ, sed pauperibus restituendi.

65. Dixi in conclusione *callatione beneficij secutâ*, nam si quis hac conditione vel pacto alteri det pecuniam, ut eidem beneficium conferat, vel per preces & recommendationes procurret, beneficium verò non aquiratur, tunc tenetur accipiens premium restituere ipsi danti, & non Ecclesiæ vel pauperibus, teste *Leslio cit. n. 173.*

66. Dixi secundò nisi *dans temporale bonâ fidie dedisset, vel esset ipse met pauper.* Si quis enim bonâ fide pro aquirendo spirituale dedit temporale, uti fieri potest, si dantes spirituale prætendant legitimam consuetudinem, vel alium coloratum titulum, à parte rei tamen non subsistente, debet temporale acceptum restitui non ipsi Ecclesiæ vel pauperibus, sed bonâ fide danti: uti expressè habetur, c. ventens, 19, de *Simonia*, tenuique

nétque Lessius loc. cit. n. 173. vel, si quidem malâ fide dedit, tamen est pauper, nec habet, unde honestè vivat, eidem quoque Simoniacè acceptum restitui potest juxta Abbatem in cit. c. de hoc. 11. de Simonia. n. 11. arg. c. quòd à te. 3. de Clericis conjugatis. Immò aliqui non pauci, ut videre est apud Less. dub. 31. n. 171. universaliter docent, ante sententiam judicis posse & debere in quovis casu pretium temporale intuitu spiritualium Simoniacè acceptum, iterum restituī danti. Quidquid sit, illud certum est, restituī debere, sive dein Ecclesiæ sive pauperibus, sive ipsi danti restituatur. In praxi tamen securè servat Doctrina tradita juxta communem.

67. Concl. 4. Simoniacè accepta temporalia in ingressu Religionis pro honesta sustentatione juxta dicta superiùs Disp. præc. n. 60. 62. & 65. Restituī non debent ante sententiam judicis, dummodò non in privatum commodum superioris, aut alterius personæ particularis, sed in commune commodum & usum conventūs applicentur. Less. dub. 30. n. 169. Pirb. de Simonia, sect. 8. n. 183. Patetque clarè in extrav. Sanè, de Simonia.

68. Dixi pro honesta sustentatione; si enim Simoniacè accipiuntur temporalia pro ipso Religionis ingressu, vel sub prætextu honestæ sustentationis plus, quam pro illa necessarium est, ante omnem judicis sententiam restituenda sunt,

non quidem ob Simoniam, sed ob injustitiam, contra jus divinum & naturale commissam, uti patet ex conclusione sequenti.

69. Concl. 5. Simoniacè accepta temporalia pro collatione ordinis, aliorūmque Sacramentorum & Sacramentalium, ac rerum quarumcunque spiritualium Sacratarum, quā talium jure divino restitui debent, *D.Thom. 2.2.9.100. A.6.* *Azorius l. cit. c. 20.* *Lessius l.cit. dub. 28.* *Pirh. de Simonia, sect. 8. n. 175.* *Layman. l.cit. n. 79.* *Suarrez, Bannes, Sotus, Adrianus, Medina & alij.* Contra plures volentes, obligationem restituendi temporale Simoniacè propter dicta spiritualia acceptum, non ex jure divino, sed humano duntaxat provenire. Probatur conclusio primò per rationem conclusione i. n. 58. adductam, quā ostendimus, accipere temporale pro beneficio Ecclesiastico esse contra jus divinum. Probatur secundò: quod quis absque justo titulo accipit, & habet, Domino rationabiliter invito, injustè habet, & restituere tenetur; sed qui temporalia pro spiritualibus accipit, & habet, absque justo titulo accipit & habet, Domino rationabiliter invito, ergo. *maj. est certa.* *min. constat,* & quidem de parentia justi tituli; quia hoc ipso, quod, uti supponitur, Simoniacè accipiat, nullum justum titulum habet. Quod etiam Domino rationabiliter invito accipiat, & habeat, inde patet; quia quamvis liberè ac voluntariè dare videatur, tamen

tamen hoc ipso, quod dare debeat, utpote alias spirituale non aquisiturus, re ipsa invitum dat, & quidem rationabiliter, quia alter gratis dare debet. Confirmatur per exemplum simillimum de usura. Usurarius restituere de jure naturae tenetur, lucrum per usuram acceptum, non obstante, quod mutuum accipiens voluntariè dare videatur: quia nempè rationabiliter invitum dat, hoc ipso quod dare debeat, alias mutuum, non aquisiturus.

70. Ob: contra hanc ultimam concl. si Simoniacè acceptum propter quæcunque spiritualia, deberet restituī de jure divino, tunc etiam restituī deberet acceptum per Simoniam mentalem, nec posset Papa dispensare in retinendo pretio Simoniaco, utrūmque est contra jurā: nam *c. fin. de Simonia*, habetur, quod Simoniacus mentalis per solam pœnitentiam suo satisfaciat Creatori. *Et extrav. sane. I. de Simonia* dispensat Papa, quod Religiosi Simoniacè accepta ab ingrediente Religionem retinere possint; ergo. *R2. Concessa maj. neganda min. ad. c.* & *extrav. nego suppositum;* quia nullum illorum loquitur de Simonia commissa contra ius divinum, sed humanum dunataxat; nam utrūmque agit de Simonia commissa in ingressu ad Religionem; in quo quia plerūmque recipientes sub titulo honestæ sustentationis ab ingrediente temporalia exigunt, nec contra ius divinum nec naturale, sed humanum dunataxat

taxat (si Monasterium est virorum & opulentum)
 agunt juxta dicta *Disp. præc. n. 60.* in quo pœnisse
 que illius , non item in jure divino dispensare
 potest , & dispensavit in casibus per citata jura
 adductis, Papa : unde gratis conceditur cum ci-
 tatis *A.A. supra n. 69.* quod accepta etiam per Si-
 moniam mentalem (multò magis per Simoniam
 Conventionalem , si est contra jus divinum) de-
 jure divino restitui debeant , sicut restitui debet
 acceptum lucrum per usuram mentalem acce-
 ptum ; quia nempè hujusmodi restitutio non
 tanquam pœna Simoniae ab Ecclesia sola imposi-
 ta, sed inde debetur ; quia accipiens temporale
 per Simoniam juris divini etiam mentalem pec-
 cat contra justitiam , hoc ipso , quod nullum
 justum titulum illud accipiendi habeat , gra-
 tisque dare teneatur , indéque recipiat Domino
 saltem implicitè rationabiliter invito . Ex quo
 haud dubiè de jure divino ac naturali obligatio
 restituendi consurgit . Quà propter quæ supra-
q. 3. n. 33. & 34. dicitur sunt , quod nulla juris
 pœna incurritur , propter Simoniam mentalem
 vel Conventionalem , intelligenda sunt , de pœ-
 nis ab Ecclesia constitutis , non verò de oneribus
 ex jure naturæ & divino provenientibus , inter-
 quæ est onus restitutionis acceptorum per Simo-
 niā juris divini , quæ toties contingit , quoties
 pro spirituali quà tali temporale datur , & acci-
 pitur .

71. Duxi in conclusione, pro spirituali quæ tali; si enim temporale non pro ipsa re spirituali, sed pro temporali, quæ est conjuncta illi rei spirituali, datur, ut fieri potest, in metallis, crucibus, rosariis, vel aliis rebus materialibus benedictis, tunc vel nulla, vel non nisi juris humani Simonia cum ejusdem pœnis contrahitur.

72. Quæres: cuinam pretium temporale ob spiritualia in conclusione ultimâ posita restituï debeat? Respondetur, ante judicis sententiam ipsi danti. Ita communis: & Ratio est; quia universaliter loquendo injustè accepta illi restituï debent, à quo sunt accepta, si talis non aliunde incapax redditur, consequenter quia in casu conclusionis dans Simoniacè temporale, incapax non redditur; cùm per jura tantum, qui pro beneficiis dant Simoniacè temporale, non autem alij reddantur incapaces recipiendi iterum Simoniacè datum, potest, & debet istis restitui; quod si tamen fieri commodè nequit, pauperibus vel aliis piis causis applicandum erit.

Q U Ä S T I O V.

De causis excusantibus à pœnis Simoniae, & restituzione, ubi etiam de Dispensatione Simoniae.

73. Circa primam quæstionis partem suppono prius tanquam certum, & ab omnibus con-

concessum, titulos illos, qui, & quando excusant à peccato Simoniæ, quales sunt honesta sustentatio, legitima consuetudo, ignorantia invincibilis juris vel facti, labor extrinsecus, redemptio vexationis, uti constat ex q. i. hujus Disp. excusare etiam à pœnis Simoniæ jure Ecclesiastico statutis. Et Ratio est; quia ob culpam Simoniæ statuit Ecclesia pœnas, consequenter ubi culpa, tanquam causa pœnæ abest, nulla pœna tanquam effectus adest. Excepto, quod beneficium fructusque inde perceptos restituere teneatur etiam ille, cui inculpabiliter & invincibiliter ignorantia ab aliis beneficium Simoniacè procuratum & collatum est, ob specialem juris in odium Simoniæ dispositionem juxta dicta superius q. 3. n. 41. & seqq. Hoc præsupposito examinabitur, an, & quinam sint tituli excusantes à pœnis Simoniæ, & restitutione Simoniacè acceptorum, postquam Simonia culpabiliter commissa est. Et quidem. 1. principaliter, an excusat à pœnis jure statutis, qui quidem scit, se Simoniam committere, vel culpabiliter commisisse, ignoravit tamen pœnas eidem adjunctas? 2. An ignorantia excusat à restitutione Simoniacè acceptorum? 3. Quid circa pœnas juris & restitutionem efficiat præscriptio, & possessio?

74. Concl. 1. Ille, qui scit, vel dubitat (nam universaliter loquendo, qui cum dubio pratico & antecedente agit, eodem modo peccat,

eat, & reus est, quo reus est, qui scienter peccat) se peccare, & Simoniam committere, tradendo rem temporalem pro spirituali, non excusatur à pœnis Simoniae, ab Ecclesia statutis, et si has invincibiliter ignoret; exceptis censuris. Hanc sententiam expressè docet, *Scotus in. 4. dist. 6. q. 8.*
Sanch. lib. 9. Disp. 32. n. 21. *Azorius p. 1. lib. I. c. 15. q. 1. & 2.* dicens rem esse certam, *Covarr.* docens, oppositum esse errorem, *Layman lib. 1. Tr. 4. c. 20. n. 6.* *Herinx. p. 2.* *Tr. 3.* *Disp. 5. q. 3. n. 27. & 29.* *Haunoldus Tom. I. Tr. I. c. 2. controv. 2. n. 103.* Sporer in *Decalogum. Tom. I. Tr. I. c. 2. sedt. 4. n. 39.* Molina *Tr. 5. Disp. 71. n. 9.* Suarez, Sotus, Corduba cum plurimis aliis. Ratio conclusionis est: tum quia ignorantia solius pœnæ non tollit causam pœnæ, sive culpam, ergo nec effectum sive ipsam pœnam: tum quia quicunque scienter legem transgreditur, & peccat, implicitè consentire videtur in pœnam à lege latam, hoc ipso, quod cuivis notum sit, transgressionem justæ legis aliquâ puniri pœnâ. Hinc Deus punit eos, qui peccatum mortale committunt, variis pœnis æternis, et si peccantes non sciant illas pœnas: & judices in patibulo suspendunt furem, homicidam gladio necant, alios rotâ cruciant, et si malefactores nesciant has pœnas, imò et si suam harum pœnarum ignorantiam probent.

75. Verum non desunt Authores, ut Navarr. c. 23. n. 47. Castro Palao To. 1. Tr. 2. Disp. 1. pun. 17.

n. 7. Cum aliis ibidem citatis, qui ex professo universaliter docent, quod invincibilis ignorantia cuiusvis, poenae transgressoribus legum per Canones impositae ab ea incurrienda excuset, quantumvis alias quis legem culpabiliter violando peccet. Quae sententia quod verè probabilis sit pronuntiare non audeo ; quia praxi Ecclesiæ contraria videtur : nec etiam ut improbabilem vocare præsumo : Cùm gravi AA. Authoritate nitatur : quāvis aliqui eorum loquuntur solum de pœnis extraordinariis. Illud certum est, & fatentur defacto omnes, quod ignorantia censuratum excuset ab illis, etsi ceteroquin contra legem agendo gravissimè quis peccet. Ratio est ; quia ad incurrendam censuram requiritur consumacia, quæ non habetur, si poenæ censuratum ignorantur. Unde & in conclusione additum est exceptis censuris. Ex hac conclusione.

76. Sequitur, eum, qui Simoniacè procurando sibi beneficium benè scit, vel saltem dubitat, se Simoniam committere, nescit tamen positas pro hac Simonia pœnas, liberum quidem esse ab excommunicatione, collationem tamen beneficij esse nullius valoris, deberéque illud unà cum fructibus perceptis restituere.

77. Concl. 2. Quicunque Simoniacè accipit temporale pro spirituali beneficio præsertim Ecclesiastico, nullatenus à restitutione excusatur, sed ad eam graviter obligatur, licet accipiendo

